
TH. BARTHOLINI

DISSERTATIO ANATOMICA de HEPATE DEFUNCTO

Novis Bilsianorum observationibus opposita.







HAFNIÆ,
Excudebat CHRISTIAN. WERING. Acad. Typ.
Sumptibus PETRI HAUBOLDI
ANNO 1661.



TH. BARTHOLINI
Dissertatio Anatomica
DE HEPATE DEFUNCTO
ad
Celeberrimum Virum
D.D. ANTONIUM DEUSINGIUM
Medicinæ in Inclyta Academia Gröningana Professorem Primum, Principisq; ibidem Gubernatoris & Provinciæ Archiatrum.



MAjorem & à me & publico gratiam meruisses, Clarissime Deusingi, si neglectis Bilsianarum partium factionibus, sub proprio

vexillo, experimentis proprijs & rationibus pro Hepate Defuncto reducendo aciem contra me instruxisses. Jam infestiora mihi videntur, qvanqvam minus terroris incutiant, qvæ non semel forti animo tela excepi & sustinui ex illius pharethra, qvem tanti esse credidisti, ut patrocinium illius in Te susciperes. Mirantur mecum alij qvibus publicis in Medicam Rempublicam meritis innotuisti, qvæ causa Te ad illius admirationem & cultum impulerit, cujus artes obscuræ, Prætorio tamen jure sibi apud omnes authoritatem imperat. Scilicet ægerrimè Nobilis ille tulit, qvod argumentis nullâ prorsus bile conspersis dubia nonnulla in *Spicilegio secundo* proposuerim, anteqvam pleno consensu in sententiam illius descenderem; hinc convitijs liberali manu me meamq; famam oneravit, & per subornatos, librosq; verbis acerbis graves obruere conatus esset, si vel minis vel tyrannide aliquâ liberi spiritus homo & extra illius imperium constitutus, potuisset debellari. Te veró an nobilitas illius terruit, ut inter clientes & adulatores ejus numerareris, invidiamq; alienam in Te transcriberes? Non inducor ut id credam, Nam in libera Re-

pu-

publica versaris, & nobilem quoq; tutemet animum geris. Recté *Petronius* :

Una est nobilitas argumentumq; coloris
Jngenui, timidas non habuisse manus.

An miraculorum magnitudo oculos tuos perstrinxit, quæ orbi promituntur? Certè jam ea vilescunt & penè evanescunt. Multos artificium illius in stuporem rapuit, quo præparata corpora à putredine, velut balsamo condita, fertur conservare. Sed speciosa promissa eventus destituit. Scripsit enim nuper ad me amicus, balsamica ejus corpora nunc valdè madere, nunc justò sicciora, velut pulverulenta videri, qvam diu igitur sint duratura, judicent salis & aluminis naturae gnari, qvorum quoq; beneficio brevi artificium illud publicé prostabit qvod magno pretio Principi cuidam Germano divendidit mercator nobilis, ut spes sit ad plures secreti hujus notitiam dimanaturam. Qvod si interea balsamica corpora admirari velis, ad nos quæso transcurre, ut Venstermanni Nobilis Mumiam curiosis oculis speculeris. Pertexui illius Historiam Cent. 1. Anat. Rar. Hist. 62. Ex illo tempore uxoris quoq; Venstermannianæ loculus feralis fuit apertus à milite spe prædæ & defossi thesauri, repertumq;

tumq; cadaver prorſus integrum, aridum & omnibus ſuis partibus illæſum. Sedulâ operâ utriusq; cadaver iterum perluſtravi, ut pleniore fiducia inſuetum oſtentum ad Te perſcriberem. Effluxerunt anni LXX. & amplius poſt illius ſepulturam, poſt hujus veró obitum anni XXXII. Utriusq; tamen jam eadem ſiccitas, magnitudo, forma, color idem, pernæ fumo induratæ ſimilis, ſed pondus adhuc diuerſum, qvanqvam enim facile utraq; mumia à nobis portari manibusq; elevari poſsit, femina tamen gravior eſt, forſan quod inconſpicua oculis noſtris humiditas adhuc intus lateat. Jn viro crinium rubrorum veſtigia conſeruantur, Ungues tamen in utraq; deficiunt in pedibus manibusq;, quia tendinibus exſiccatis & contractis contineri ſuo loco nequiverunt. Cauſam needum aſſeqvutus ſum qvæ hæc ſola cadavera incorrupta tuetur. Veſpillo templi rogatus, negavit vel in cœmiterio vicino, vel ſepulchris templi aliis, præter oſſa ex cadaveribus qvicquam comparere. Patet hujus cryptæ ſubterraneæ feneſtra meridiem verſus, & effoſſum ſolum eſt argillaceum, an vero hinc pro mumiis hactenus conſervatis aliqvid lucis affulgeat, Tu, Vir naturae perite, apud Te deli-

deliberabis. Jnterim bono esse animo Bilsium jubebis, autorq; sis ut se quoq; ab interitu balsamo modestiae vindicet, nisi illis annumerari malit quos facætus ille morum castigator *Lucianus* in Necyomantia mortuos juvenes, sed integros in inferno vidit, maxime Ægyptios, propter illam condiendi efficaciam. Nec altera illius sectio sine cruore, hujusq; de loco in locum propulsio, Te tantopere turbet. Quid quid enim huic artificio subest, vinculis debetur & circulationi, qvod nuper meus *Stephanus* clarius demonstravit. Et quanqvam mysterium subesset, judicat tamen Doctissimus *D. Barbettius*, inutile esse tale secretum, qvod oeconomiam corporis humani turbat potius, qvam illustrat, omnia enim vasis sanguineis teneriora disrumpi, atqui illa satis clarè nobis esse depicta, ut novi quid inde melioris frustra expectetur. An igitur veritas alia Tibi placuit ut illa castra sequereris? Jd equidem credo, sed quomodo pro illius veritate pugnare potuisti, quam ipse *Bilsius* secretam sibi servat, nulliq; mortalium revelat ante numeratam ingentem signati argenti summam. De ignotis ne judicandum, aut affirmanti Bilsio statim credendum, ante visa experimenta?

 Quan-

Quantum intelligo, nunqvam Tu, Vir perſpicax, ad illius ſacra admiſſus es hactenus, nec ullus alius peritior, qvi de promiſſorum veritate teſtari poſſet. Si nudam apertamq; Naturam nobis ſine velo obſcuro exhibuiſſet, artesq; ſuas apertius orbi erudito prodidiſſet, & probaſſet, ſine hæſitatione ambabus ulnis amplexus tecum fuiſſem Bilſiana promiſſa, & Hepati denuò eſſem gratulatus de purpurâ recuperata; ſed tamdiu dubitavi, donec manifeſtius cuncta paterent. Enimverò quæcunq; ille pro Hepate reſtituendo, & Tu pro utroq; defendendo molitus es, conjecturæ meræ ſunt, anſamq; dubitandi poſt ſe relinqvunt, qvum alia ſubeſſe posſit ratio, qvam à vobis fingitur. Qvam diu enim oculis non patet, chylum per venas meſaraicas hepar intrare, tam diu negamus Hepar ſangvinis conficiendi princeps eſſe organum, & qvam diu chylo candido non turgent eadem vaſa ut ſine ulla dubietate chylus verus proximè ex inteſtinis adveniens dicatur, tamdiu pernegamus chylo ad hepar vehendo vaſa illa eſſe deſtinata. Fidimus hic & ubiq; oculis, non conjecturis, nec dubijs colorum miſcelis. Clara verò veritas pro Corde pugnat, in quod per thoracicum Lacteum viſus fuit chylus

lact-

lacteus defluere ex prima Cl. *Pecqueti* observatione, qvam presso vestigio seqvuti sumus. Quis tam Argus unqvam fuit, qvi in Hepate delatum candicantem chyli liquorem viderit? Vos verò qvi sangvini chylum miscetis postqvam intestinis excidit, confunditis distinctos liqvores, & distincta Naturæ vasa, ut rectum firmumq; de mistorum liquorum cursu judicium ferre nemo sine præ judicio valeat. Clara & perspicua esse debent, quibus novæ hypotheses innituntur, ne tandem ad confusum chaos redigatur Ars illa, quæ, quia sensu manifesto & distincto nititur, pro certissima habetur. Jn eam curam utriusq; industria incumbat, ut ex manifestis veritas eruatur, nec ullo fascino oculos nostros effascinari nobis patiamur.

Hac spe animatus cursorio oculo & amico, eruditissimam tuam De *Hepatis Officio* Dissertationem, nomini meo amicè inscriptam, pervolvi, sed unum ibidem in Te desideravi. Ignosce quæso, mi *Deusingi*, qvod liberè tecum agam & nascentis amicitiæ experiar fructum. Nimia facilitate peccasti & ignotorum experimentorum applausu. Facilis fuisti ad illa amplectenda quæ verbis tam speciosis orbi Nobilis Bilsius promisit ut vel

lactis gallinacei ſperare indè posſis hauſtum, qvanqvam nunquam ex experimentis illius quidquam ipſe videris, ſolo auditu contentus, immemor verisſimæ *Luciani* laudati ſententiæ *Quom. Conſcr. Hiſt*: ὦτα ὀφθαλμῶν ἀπιςότερα: aures quam oculi minus fide dignæ. In hac credulitate diſſentit à Te, Viro alioquin extra vulgaris disſidij aleam poſito, animus meus incredulus, qui oculos manibus junxit. Non nego hominibus eruditis & in Arte exercitatis eſſe habendam fidem, ijsq; qui illuſtria ſuæ fidei & ſinceritatis orbi erudito ſpecimina dederunt, ut ijs ſecurè credi posſit; at illi applaudere, proq; illo acriter pugnare, tanquam pro aris & focis, qui & literarum & eruditionis eſt ignarus, nec ab erudito orbe in numerum authorum fide dignorum adſcitus eſt; neſcio an ſine exiſtimationis fiat detrimento. Scientiâ tuâ præclarâ, qua hactenus magno tuo merito inclaruiſti, abuſus es in eo defendendo, qui noſtris ſacris nunquam initiatus eſt, tuaq; facilitas tantum à Te impetravit, ut inimicum ordinis profeſſorij, cujus ipſe haud poſtrema pars es, & rudem literarum humaniorum, artisq; Medicæ oſorem publico Commentario & laudaveris, & propugnaveris. Fru-

ſtra

ſtra Tibi *Hippocratis* noſtri Iuſiurandum in memoriam revoco, quippe ipſe magno Auditorum commodo, Academiæ ſplendore & propria laude, medicinam doces & exerces. Patere tamen pro humanitate tua, ut neglecti jurisjurandi Tibi exprobrem audaciam. Præceptionum enim & auditionum totiusq; tuæ diſciplinæ participem illum feciſti, qui tantum abeſt Medico juramento nomen fidemq; dederit, ut & Medicos omnes veluti fungos præ ſe alto ſupercilio ſpernat, & contra *Hippocratis* noſtri juramentum mercede & ſyngrapha artes ſuas edoceat. In malam partem noli interpretari libertatem meam, quod ſine fuco Tibi aperiam, qvid diſpliceat. Non negabis mihi tuam facilitatem, qvam in credendis Bilſianorum ſecretis prodiga manu profundis, certo enim credas plurimum apud me publicum tuum juvandi ſtudium aliaq; merita valere. Quid autem ab illo gratiæ referes, tempus aperiet & ſubolfeci modo, ſed reticeo, ne inter vos ſeram inimicitias, parum profuturas. Sed nolo illa tædioſe Tibi exprobrare, quæ pro veritate, ſepoſito ſupercilio, in Te ſuſcepiſti, ſpecioſis experimentorum novorum titulis ineſcatus, optandus Tibi potius rei ſperatæ optatus ſuc-

ceſſus

ceſſus. Ipſa qvod ſpectat Bilſianæ factionis experimenta, quibus in integrum reſtituere Hepar exauctoratũ Bilſius non ita pridem magno conatu attentavit, ne verbum amplius addere ſtetit ſententia. Nuntium enim illi remiſi, & Res ſibi ſuas habere juſſi, ſicut ex Epiſtola mea ad *Stephanum* meum perſpexiſti. Malam enim gratiam inii, quod ſine dubitatione in dicta illius non conſenſerim, & diras nullo meo merito impetravi, ut ab iſto ulcere manum inpoſterum ſim retracturus. Tuam verò in gratiam omnia volo, tecum ſermones miſcere vacat, propter veritatem de veritate inqvirere, & cum ſapientibus apud ſapientem dubitare. Omni officio devinctos nos haberes, ſi funeratum Hepar ex buſto revocare poſſes, aut excuſſo ſomno ad priſtinam vigilantiam reduceres, ſi qvidem alto ſopore tantum, ex tua opinione, immerſum actiones conſuetas ſuſpendit ad tempus, non neglexit. Fuit, fateor, annus qui hunc præceſſit, Regibus amicus, qvo imperium ſuum juſtè recuperarunt, qui injuſtè amiſerant: an eadem Hepati tumulato vel in exilium acto fortuna adſpiraverit, juſtis de cauſis dubito, qvum necdum ſociorum ſuorum fœderi renunciaverit Cor, in ſubſidium hactenus

nus paratorum, & ad omnem peregrinum infultum civilesq; motus intentorum. Ut mundus, ita nec corpus humanum regi poteſt duobus dominis. Regna & thorus non patiuntur ſocium. Nec ſine pugna cruenta è ſolio avito detrudi ſe Cor amplius patietur, ſuo exemplo edoctum, tam difficile eſſe imperium recuperare, qvam facile illud amittere. Non igitur ſe ſolabitur Hepar aliorum fortunâ, qvam ſibî quisq; ſuam vel habet vel meretur. Non omnibus contingit adire Corinthum. Qvantum cuiq; reſtat, prima naſcentium hora diſpoſuit, ſi *Senecæ* credimus L. *cur Bon. Vir. Mal. accidant*; unde magna varietate ſingulorum vita diſtinguitur. Si ſaperet Hepar, ſana noſtra conſilia ſequeretur, & diutîus placidum ſomnum extenderet, nec regnum, quod juſtè amiſit, injuſtè invaderet, ſecus enim ſi res ceciderit, faba cudetur in ſeditionis novæ & factionis authores, ſicq; conſilium malum conſultori erit peſſimum. An copiæ tuæ pares eſſe poſſint, qvæ vim & impetum Cordis ejusq; exercitus ſuſtineant, prius juſta diligentia expende. Agmen Bilſianorum argumentorum fame preſſum, commeatu intercepto evanuit, quanqvam primos impetus vehementes habue-

buerit. Imperatoris quoq; noſtri fortitudine & hi & illi & iſti profligati & arenâ pulſi. Diſperſas copias Tu pro *Bilſio* ejusq; Hepate avaro colligis, qvo ſucceſſu videamus. Dubito de felici, quia auguria terrent & infauſta extiſpicia, hepar enim ipſum profundo ſomno vel mora tot annorum in tumulo, ex parte putredine infectum, ἄλοβον eſt, amiſitq; fibras. Sed augurijs omisſis, qvia cœlum aruſpicum forſan mecum non curas, rem controverſam aggrediar, Tibi ut morem geram, viſurus an experimenta veſtra, à me impugnata, tantum robur apud Te receperint, ut perſuadere planè queant, ad Hepar chylum vel chyli partem deduci.

Dubium ex Exercitatione Tua politisſima De *Chyli Motu* text 50. depromtum præmittis, qvod ipſe primus moveram olim in Hiſt. De *Lact. Thorac.* C. XV. quum Hepatis in gratiam omnia tentarem, quodq; ex inde ab aliis fuit arreptum, ut Hepati ferrent ſuppetias, meque meo ipſius gladio jugularent: nempe, quia unicus plerumq; & anguſtior eſt Lacteus Thoracicus, lacteæ verò venæ meſaraicæ copioſiores, chylusq; abundantior, videri nullam eſſe proportionem inter vaſa adducentia & abducentia. Quid

Rio.

Riolano, *Baccio*, aliisq; alibi responderim, adeoq; ipsi mihi, in præsenti non repetam, ne in nimiam molem, cum lacteis, mea excrescat Dissertatio. In *Spicilegij Secundi* Cap. 1. Pecqueti Sententiam produxi, non ut meam, sed ut tanti tamq; felicis Prosectoris judicium de hac controversia lectoribus aperirem. Nititur autem illud demonstratione subtilissimi *Renati des Cartes* l. 2. Phil. Princip. c. 33. qua probatur celeritate angustiam compensari. Hinc *Pecquetus* celeriori profluvio chylum in lacteas thoracicas ex Receptaculo suo incitari putat, propter vicinorum viscerum compressionem, vicinæ aortæ continuum pulsum, & musculum psoas. Tibi, Vir multiscie, displicent hæc exercitati Anatomici argumenta, nec credis causam aliquam excogitari posse, quæ celeritatem motus per ductum Thoracicum in tantum adaugeat, ut multitudo lactearum per mesenterium sparsarum ac innumerabilium capacitas, eâ celeritate compensetur. Ego causis allatis qvæ celeritatem motus in lacteo thoracico promoveant, unam adjungo, ex tuis ipsius principijs, validam nempe cordis attractionem. Mira res, illum defendi ex principijs ipsi contrarijs, Te ex proprijs impugnari.

nari. Negat ille attractionem, Tu defendis, pasſimq; in lectis Exercitationibus tueris. Non me inter tantos artis noſtræ Magiſtros arbitrum conſtituam, quos amo ab humanitatem & veneror ob artis peritiam. Utramq; ego alibi actionem conjunxi, neſcio an bona eruditorum venia. Tu judices, qvia hoc agere decreviſti. De Clitumno fluvio *Plinius* l. 8. Epiſt. ad Romanum, teſtatur non loci devexitate, ſed ipſa ſui copia & qvaſi pondere impelli. Chylus verò quia & iſta devexitate loci caret & ſurſum tendit, neceſſarió & pellentis & trahentis auxilio indigere videtur, cui á copia pondus accedit ingens. Qvod ſi Cor antliæ in morem pro calore ſibi innato & adveniente validè toties repetitis momento ſyſtoles & diaſtoles motibus trahit liquores, ſanguinem ſcilicet chylumq; in axillaribus mixtum, ſicut calida omnia ad ſe vi qvaſi attrahunt, ut ſol vapores, inflammatæ partès ſanguinem, ſuccinum calidum paleas, & caput cum incaluerit tenuisſimum per arterias adſe ex corpore; certè magnum momentum erit pro cellerrimo chyli per ductum thoracicum motu, quo compenſetur vaſis exilitas pro multitudine lacteorum in meſenterio, ut ſicut fabri lignarij dum

dum ſerra ſecant, hic quidem trudit, alter vero trahit, ut idem uterq; efficiat, monente *Hippocrate* l. 1. De Vict. Rat: ita & tractione Cor, & pulſione inferiora viſcera cum celeritate chylum promoveant. Reverà motum eſſe celerem, inde apparet, qvod citò diſpareant vaſa & ductus, candidusq; liquor cito in lymphaticum immutetur. Diſparentiæ quidem aliam divinaſti cauſam, nempe, qvod venæ meſeraicæ ex glandulis & meſenterio continuè hirudinum inſtar ſuccum chyloſum eliciant & ad truncum portæ tranſmittant; ſed eam nullo argumento vel in ſpeciem probabili, ne dicam ſenſu ullo probas, nam qvod de venarum ex omnibus partibus ſuctione tradis, effugium eſt, quo cuncta quæ non aſſeqvimur, excuſare poſſumus. Quid quid venæ attrahunt, ex partibus trahunt cruorem unde emergunt, deferuntq; illuc quo ſanguis alias patentibus vijs fertur. In morboſis μεταςάσεις omnes morborum hac viâ fieri poſſunt: Condonandum enim *Hippocratis* ævo, quod carnes cum perfuſæ tumidiores & rariores extiterint, ex venis ſanguinem trahere dicantur Lib. 2. de Morb. Nec facilè perſuaſeris plurimas venas lacteas ad inteſtina terminatas, propagines eſſe venarum



narum meſaraicarum, qvod à nullo, qvod ſciam, obſervatum fuit, ideoq; nec magno *Riolano*, idem ſuſpicanti, in *Defenſione* noſtra conceſſimus. Per Cor verò, qvia inter ſe patent, connectuntur, naturalisq; humorum eſt commeatus, à lacteo thoracico per axillarem venam valida attractio concedi poteſt, quam reliqvis vicinarum partium compresſionibus junge in *Pecqveti* defenſionem, & multum junctæ proficient, licet ſingularum pulſio exilis Tibi videatur, ſi per partes progrediaris. Dum enim in meſentericis venis lacteis motu muſculorum, diaphragmatis & c. chylus pellitur, eadem qvoq; opera celerior motus promovetur ex Receptaculo in lacteas thoracicas. Non impedit arteria aorta, ſed ſua compreſſione juvat, qva celerius per vaſa ſua effunduntur liqvores, qvod in ipſis arteriarum cordis compreſſionibus ſeu ſyſtole liquet, præſertim quando compresſio remisſionem ſubitaneam habet. Muſculi pſoas motus licet exilis ſit, fortis tamen cenſetur, propter carnoſæ ſubſtantiæ firmitudinem & robur compactum longiusq; protenſum. Cætera mitto, qvæ de venarum lactearum exilitate & tarda glandularum ſuctione mones, alibi enim hoc ſaxum volvi, nec meas

hic

his partes ago. De proportione verò venarum lactearum innumerabilium ad unicum lacteum thoracicum, licet & id dubium alibi enodarim, unicum hic verbum addam, ut videas quam prompta mihi sit manus in tuî obsequium. Principio, opus non est, ut viæ subsequentes ac intermediæ primis sint proportionatæ, seu pares, ubi humorum in intermedijs subsequentibusq; vijs nulla mansio esse debet, sed successiva expulsio, ita enim quanqvam lacteus thoracicus unicâ mensurâ non caperet tantum, quantum mittitur, successive tamen partem post partem reciperet, reliqvo in primis vijs tamdiu hærente. Si proportionem veram accuratamq; desideras, ex *Galeni* more l. de Dissect. Ven. c. 1. petenda illa erit inter venas lacteas Receptaculumq;, & inter Cor ejusq; annexa vasa. Cor enim est recipiens, ductus thoracicus est tantum via intermedia, cujus paritatem cum mittente vel recipiente nullo jure postulas. Ita nec inter ureteres vel ipsos renes cum cavitate vesicæ, æqua est magnitudo, nec esse debuit, quia illæ sunt viæ tantum per quas labitur successivè salsus humor, hæc alveus est in quo lotium stagnat & ad tempus excretionis retinetur. Quia igitur alimentarij corporis

humores in perpetuo versantur motu, non opus est exacta comparatione paritatis inter vias primas & subsequentes, multò minus inter intermedias, qvæ inter recipientes, & mittentes, ut canales intercedunt. In vegetabilium genere sæpe truncus arboris crassior & ad ramorum multiplicem luxum accommodus videtur, nonnunquam tamen angustior, qui nec radicibus amplis respondeat nec ramis, foliis, fructibusve copiosis, imò, si vera loqvi volumus, viæ intermediæ in arboribus perpetuo sunt angustiores, si ad extrema conferantur, quia per corticem nutriuntur. In hordei unius spica sæpe 80 grana numeravi, culmo satis exili. Mira est terræ in Insulis nostris Ferroensibus saxosis fertilitas, ubi plerumq; ex unico hordei grano quinquaginta culmi, totidem spicis excrescunt, granis fœcundissimi & turgidi, cujus generis culmos in rei fidem apud me servo illinc allatos. In Gerar centuplum ex semente accepisse Isaac Patriarcha fertur *Genes.* XXVI, 12. Ex tumoribus anomalis aliisq; excrescentijs carneis tuam quoq; proportionem urgebo. Tenui plerumq; funiculo exortus illorum constat, in magna tamen mole anomali corporis non tantum copiosa vasa sang-

vinea

vinea, quibus crescunt & augentur, sed & vasta satis & tumida conspiciuntur. Exempla passim occurrunt, quæ, ne actum agam, nolo transcribere. Dum hæc ad Te meditor, puella ad me venit precium laborum in demoliendo vallo suburbano repetens. Recedentis tergum cum uxore mea suavissima forte adspiciens, vel gibbosam illam putavi, vel onus aliqvod gestare. Revocamus puellam, ut certiores de affectione ista reddamur. Tumorem illa haud invita nobis detegit, & inspiciendum præbet. A medio dorso carnosus tumor dependebat angusto principio, cujus basin manu commode amplectebar, protendebaturq; vasta mole æqualis, ad tactum mollis, mammarum instar, sed quem vix utraq; manu expansa attolleres, supra nates, quibus incumbit, turgidis venis hinc inde copiose variegatus. Dic mihi, qui tanto ingenio polles & Mathematicarum quoq; rerum peritia excellis, quæ nam proportio inter vastas has venas copiose in tumore carneo conspicuas, & inter exiles illas angustasq; in exortu è corpore enatas. Similia sæpe occurrunt, monstrantq; quomodo vasorum distributio limitetur à Natura, in ipsa necessitate qvoq; artificiosa, & æqvam servans

vans proportionem, licet eandem pro iniqua ſubinde habeamus. Propius lacteas thoracicas inſpiciamus, illarumq; ad lacteas meſentericas proportionem, ſeu paritatem, non usq; adeo neceſſariam, quia, ſi accurato eſſe licet, tantum rami cujusdam rationem illæ habent. Certe non adeo exilis anguſtuſve eſt ductus thoracicus, quin cum ſocijs lacteis in meſenterio posſit conferri. Nam quanquam videatur exilis, amplior tamen eſt quando copiâ chyli adveniente & hæſitante dilatatur aut intumeſcit. Preterea qui ſimplex plerumq; eſt, nonnunquam ſocium indipiſcitur, quoq cl. *Pecquetus* ſemper notat, ego tamen in perpaucis inveni. Suſpicor duplicem a Natura tum eſſe conditum, quando pro copia chyli vel numero lactearum meſaraicarum in guloſis, unicus non eſt capax, qui ſufficiat naturæ indigentiæ, & commeatui transportando. Auget capacitatem canalis longitudo, qvæ tanta eſt quanta univerſa dorſi regio & lumbaris pars, qvum lacteæ meſentericæ, numero licet plures, anguſtæ ſint & breves. Expende jam mecum, ſi vacat, ſucceſſivum chyli progreſſum, qui cum impetu non fit, nec uno ictu univerſus per canalem ad cor effunditur, ſed pedetentim & quaſi per

per mensuram æqvam successivé: qui enim chylus statim per tubulum transire nequit, post exiguam in Receptaculo, vel lacteis mesentericis moram, ordine suo percommodé succedet. Nec moræ damnum patitur. In lacteis enim venis perficitur, ne vel nimium crudus axillaribus infundatur, vel ad sanguinem ineptus sit. Hinc si illa jungamus, quæ vel ex propria vel *Pecqueti* conjectura alibi signavimus, liquido constabit, eam esse proportionem ductus hujus lactei ad vasa mesaraica lactea, qua in transfundendo universo chylo per partes ad Cor indiguit Natura, ut ad Hepar chyli particulam transmittere, necesse non sit. Ut plané acquiescas, mechanicé hæc evidentissimé demonstrabo. Canalis angusti, quo enemata injiciuntur, ad amplam vesicæ bovinæ capacitatem nulla videtur proportio, si semel confertim ejiciendùm esset decoctum, at successiva propulsione & compressione eliditur omne quod in vesica continebatur. Finge loco vesiculæ unius capacis, centum cellulas exiles seu loculos, qui desinant in unicum canalem angustum. Hæc unius canalis ad centum proportio sufficiens est artificis instituto. Nam si simul comprimantur exiles loculi, simul

effluit per canalem ex liquore qvantum potest, reliquisq; compresſionibus ſucceſsivé reliquum evacuabitur. Siphone anguſto vini cadus educitur. Rupto aggere ad latitudinem pedum aliquot, ſtagnum evacuabitur mille paſſuum, ſi eædem conditiones ſerventur, quas in chyli diſtributione & Natura probavit & nos ſeqvuti ſumus. Parva eſſe debet ſyringa in paracentheſi, ne confertim ſerum in Hydrope emittatur, vel fiſtula in Empyemate, qua poſt decimum demum diem, ex *Coi* præcepto, pus univerſum ex thorace exſtillet. *Vegetius* l. 1. Mulomed. c. 43. & l. 3. c. 25. fiſtulæ meminit Centimalis. Quæ veró hæc? Dubitant omnes, qui Vegetium legunt. Nec injuria, qvum nec ſibi in hac lectione conſentiat ipſe *Vegetius*, vel illius ſcribæ. Codex enim *Sambuci* legit Centinalis, Florentinus Centitalis, Anonymus in codice *Hadriani Junij* Centralis. Alius apud *Rhodium*, Polyhiſtorem noſtrum, gentialis, qvi exinde in Notis ſuis ad Vegetium, propediem per nos edendis, ſuſpicatur eſſe legendum geniculata, h. e. nodis interſtincta. Ego à conſilijs Malomedico non fui quum iſta ſcriberet, voluit tamen talem fiſtulam vocatam vel centinaulam quod centum forami-

minibus totidem naulos aquam evacuando persolveret, vel lentemalacam, quod & mollis esset & lentè illius opera abdomen emolliretur. Talem veró fistulam Mulomedici, *Vegetio* narrante, l. 1. c. 43. portare consueverunt, minutis foraminibus multisq; pertusam, per qvam foras humor emanabat, qua forma quoq; á *Sculteto* in Armam. chir. depingitur, sed obtusa, neutiquam ad similitudinem calami scriptorij exsecta, sicut tradit *Paulus Ægineta* l. 6. c. 50. quem ideó rectè rejicit *Aquapendens* in Oper. Chir. Foramina veró minuta erant, ut tantum humoris curreret quantum æstimabatur necessarium, pro cujusq; virium ratione, nec confertim cum ægri noxa efflueret. Ideò minuta erant *Vegetij* foramina & ipse canalis καλαμίσκος, canaliculus dicitur *Paulo* l. d. Unde ipse proportionem metire inter amplissimi abdominis ampullas, & canaliculi foraminula, per quæ universa aqvarum colluvies evacuari potest, ut par judicium de nostra controversia fiat. Plura in re manifesta non addo, nisi hoc solum, quod angustum canalem thoracici ductus data industria efformarit Natura, ut commodior expeditiorq; fieret á corde attractio. Quemadmodum enim *Hippocrates*

ait l. de Prisc. Med. si ore hiante fueris, nullum humorem attraxeris, ubi veró protensis labris constrinxeris & compresseris, praetereaq; fistulam admoveris, attrahes. Licet angustior fistula sit, sugendo tamen & attrahendo amphoram evacuabis, cujus alioquin ad siphonem vel os contractum, nulla videtur rerum ignaris proportio.

Missa vero ista proportione, cujus modo accuratam dedi rationem, ex sectione vivi animalis aliquid pro chyli ad Hepar traductione moliris. Si enim in sectione vivi animalis mox, quanto ocyus id fieri potest, intercipiatur vinculo ductus thoracicus, haud tamen motus ipse lactei liqvoris, qui per venas lacteas in mesenterio contingit, inhiberi deprehenditur quin nihilominus hæ sensim dispereant & evanescant. Plus apud me authoritas eruditi Viri valet, quam ut in dubium velim vocare tuam experientiam. Ego tamen nihil tale observavi. Nec facilè id persuaseris scrupulosis & accuratis rerum anatomicarum indagatoribus, nisi finitâ pene chyli distributione aperiatur animal, tum quidem inaniuntur lacteæ, & in chyli motu disparent, sed non eam ab causam, quam pro Bilsio putas. Neq; enim necesse est, ut lacte-

lacteus liquor ad hepar progrediatur in ductus thoracici ligatura, quia aliæ partes adsunt ad servitium promptæ, quo amandatur. Nempe ipsum Receptaculum chyli Pecquetianum, quò tanquam in alveum defluit chylus ex lacteis mesentericis. Illuc autem confluere liquorem omnem candidum, qui inanitas venas lacteas linquit, id indicium habemus, quod in hujusmodi ligatura thoracici ductus, distendantur & Receptaculum & ipse ductus thoracicus, & præter solitum tumeant, quanquam si diutius chylo repleantur, dilutior evadat color. Quod interea chylus ille non ingrediatur Hepar, discere in proclivi erit, si eodem tempore venæ portæ trunco prope hepar ligato, nihilominus motus lactei liquoris perstet & lacteæ mesentericæ inaniantur, nisi enim tum omnis chylus ad Receptaculum & thoracicum pergeret, non disparerent utiq; mesentericæ lacteæ. Per mesaraicas rubras imbibi, solâ conjecturâ assequimini, nullâ demonstratione apodicticâ vel oculari experimento. Inter conjecturas primarias, cui universæ difficultatis pondus incumbit, hæc Bilsij una est, quod arteriæ in mesenterio canis ligatæ post aliquot horas vacuæ deprehendantur infra liga-

turam

turam, venæ veró ſucco ſubobſcuro, cinericeoq; repletæ conſpiciantur. Hunc ſuccum pro chylo habet, eumq; ad hepar tendere indubie ſuſpicatur. Cæterum monui in *Spicilegio Secundo* venas neceſſariò repleri arterijs ligatis, at venas liquore chyloſo ex inteſtinis impleri, non ſequi neceſſario, quia aliunde hauſerunt, quo turgent. Iam ulterius addo, non poſſe ex inteſtinis trahere, alioqui candicaret contentus in venis ſuccus. Poſtquam enim per quatuor vel quinq; horarum moram in conſuto cane, ligatisq; meſenterij arterijs, ſanguis omnis ex venis ad hepar protruſus fuit, quod brevi tempore fit, ab circulationis celeritatem, inter quam & inter chyli motum ipſe diſtinguis, neceſſarió venæ vel inanes invenirentur, ſiquidem arteriæ omnes accurate fuerunt conſtrictæ, vel ſucco candicante implerentur, ſi quidquam ex inteſtinis proveniret, etiam lentiſſimo gradu. Hinc vero quia candidus ibi liquor non comparet, ſed ex obſervatione Bilſiana ſubobſcurus, ſequitur primó chylum purum non eſſe, vel prorſus chylum non eſſe, quia purus eſſe deberet poſtquam omnis ſanguis ad hepar eſt propulſus; deinde apparet arterias tam accurate intercep-

ceptas

ceptas non esse omnes, quin aliquid cruoris transmittant, quo liquor aliás candidus tingitur & subobscurus, euadit. Revera arterias non ita intercipi exacte quin aliquid permeet, vestra festinatio prodit. . Celerrimâ enim manu suas operationes Bilsius peragit, ut visum spectatorum fugiant, unde vel oculi deluduntur, vel fallax sit ligatura. Celeritatem quidem Chirurgorum in fascijs ligandis commendat *Galenus* l. de Fasc. in præf. ad evitandum dolorem & elegantiam conciliandam. In vivorum sectione major celeritatis ratio habenda, unde *Columbus* l. XIV. de Viv. sect. mira celeritate jubet acu contorta filo immisso quatuor cordis vasa arcte colligare & cor abscindere, ut canem sine corde ambulantem ostendat. Fit tamen ab imperitioribus, ut festinans canis coecos pariat catulos, & Bilsij festinatæ sectioni competat, quod Zeuxis pictor tardus celeri Agatarcho olim dixit: Tu tempori, ego pingo æternitati. Tempore pecuniæ corradendæ hac celeritate persuasit Bilsius accuraté arterias esse ligatas, cum revera vel hient & laxius sint constrictæ, vel non omnes intercipiantur, adeoq; solum fumum monstravit spectatoribus, & nebulas pinxit in pariete. Et quanquam

quam arcto vinculo prius celeri manu constringantur arteriæ, sibi deinde relictæ, motu violento de facili tamen relaxantur.

Ut veró probabilitatem hisce experimentis pro saluando Hepate concilies, alia via erit aggredienda. Nempe jejuno ventriculo canis aperiatur, ligenturq; arctissimè meditatâ manu & promtâ arteriæ, tum si venas inanitas semper inveneris, aliquid forte obtinebis. Adhæc eodem tempore alius canis pastus dissecetur, ut appareat, an in hoc vester liquor subobscurus & cinericeus succedat. Artis peritis idem tentatum, sed spe sua frustrati, talem cinerem velut ad Ætnæ fornacem, non invenerunt. Credamus veró vera vos observasse, primo meam in gratiam circa hepar Portam ligate, ut videatis sine paropijs, quam contra vos militent inflata prope hepar vasa Lymphatica, & manifesté appareat, lymphæ cursum prorsus esse alium, quam sibi persuasit ille qui celeri manu celerrime & naturam torquet & nos decipit. Deinde in experimento tali, ligandus quoq; cum arterijs est ramus splenicus, ne quidquam ad truncum portæ vel vicinos ramos affluat aut percoletur, quod liquorem vestrum turbet. Nihil horum factum deprehendi, ut sus-

ſuſpicio ſit ſubobſcurum veſtrum liquorem, non eſſe chylum, ſed ex miſcelâ variâ varij in meſenterio ſanguinis infectum cruorem.

Quod de ſplenico ramo dixi, ne mireris. Quanquam enim ex liene ad venas meſaraicas nihil adveniat, quo ordinario curſu inquinentur, tamen in communi trunco cum refluo ſanguine ſuccoq; acido impraegnato concurrunt liquores ex venis meſaraicis, quae an nimio pellentium trahentiumq; partium conatu, in longa illa conſuti animalis concusſione & valvularum in meſentericis laxitate & paucitate, praeter conſuetam naturae legem turbentur & confundantur, majori forſan veri ſimilitudine opinabimur, quam vos, qui venas meſaraicas ex inteſtinis ad ſenſum impervijs ſugere chylum ſuſpicamini. Impervia illic via eſt ſecundum naturam, nec oſculis in inteſtinorum cavitatem hiant vaſa ſanguinea. Fluxus enim ſanguineus eſt praeternaturam, eroſis acri humore venis & inteſtinorum tunicis, nec inde argumentum ſumi poteſt ſufficiens, ad naturalem ſuctionem & oſculorum apertionem. Bilſiana cadavera balſamo condita quae venas meſaraicas in intimam inteſtinorum tunicam irradicatas oculis, ut refers,

tac-

tactuiq; exhibent, naturali partium constitutioni adversantur, exsucca enim sunt, aridaq; & illas partes patulas ostendunt, quæ in sano statu clauduntur. Revera quoq; fallacia illi Bilsianæ demonstrationi subest. Vidit illam D. *Moinichenius* noster, in arte secandi peritissimus, quum ex Italia redux, Roterodamum pertransiret, sed admirari non potuit. Etenim in illis quæ ipsi monstrabantur patulis osculis, intestina erant abscissa, ut mirum non sit vasa mesaraica ab intestinis detruncata & resecta, orificia patentia ostendere. At an ita in viventibus & integro corpore appareant, non vidit, nec fieri potest. Quod si oscula vasorum intestinis adhærentium patentia monstraverit *Bilsius* idq; per naturam, magnus nobis erit Apollo. Per poros veró ferri chylum & transudare, commune est effugium, quo divertunt quicunq; vel ex ingenio confluxum humiditatum fingunt, vel veras causas ad oculum demonstrare non possunt. Eò si sit confugiendum, expeditior breviorq; via ad hepar per ventriculi ipsius poros sterneretur, nec tot per patulos intestinorum vasorumq; meatus ambagibus esset opus. Imò ex his principijs facilè eludemus vestras arteriarum mesaraicarum

carum ligaturas. Per poros enim tranſudabit cruor, & venæ meſaraicæ aliunde exſugere poſſent per hos poros cinericeum liquorem, quem tantopere extóllitis. Nos verò libentius apertas & à Natura intento digito monſtratas vias eligimus, plus oculis fidentes quam conjecturis aut dubijs rationibus, quæ ad omnem ſubinde partem ſuſpenſos animos flectunt. Illa ξύῤῥοια Hippocratica multorum paradoxorum in Arte noſtra mater fuit. Si eò compellerer anguſtiarum, libentius tecum ſentirem, ex meſenterio chyloſum ſuccum ſuſcipi per venas lacteas eò delatum, ſed tantum in caſu neceſſitatis, qvum probè ligatis arterijs nihil ad venas meſaraicas devenit; undeqvum continuus ſit motus, dilatenturq; forti illo motu & violento pori venarum, forſan aliquid ex meſenterio attrahitur præter naturam, ſi quidem pro chylo habendus eſt ille liquor quem cinericeum vocatis. Præternaturam dixi, ne perpetuam legem conficias. Tam benigna enim eſt Natura, ut non hoc tantum, ſed quod *Ariſtoteles* in Præf. Quæſt Mech. deprædicat, in multis ſibi ipſi, quod nobis uſui eſſe poteſt, contrarium faciat. Atq; ita ingenioſæ tuæ conjecturæ prompti-

 us

us assurgerem, quippe quem pro Doctissimo Viro æstimo, & eo dono excellere observavi, ut conjecturis sæpe veritati præludas, & præscio animo prævideas observationes adhuc latentes, ut facile existimare queamus prudentiam Tuam, quod de Attico & Cicerone à Nepote dictum memini, quodammodo esse divinationem; quod vidimus in lactis via ad mammas, in chyli ad uterum, & aliis curiosis divinationibus, quæ non falsum Te vatem produnt, & vero *Hippocratis* antiquorumq; genio animatum, quorum non pauci præsago quoq; animo nostrorum temporum inventa prædixerunt. Validiora esse divinorum virorum præsagia, quam aliorum, *Plato* scripsit. De ductibus salivalibus antiquis cognitis, ipse quoq; monuisti. Certè mirum est, quod adeò manifesté descripti illi ductus à *Galeno*, l. XI, de vs. part. c. 10. *Haly abbate* l. 3. Theor. c. 16. *Abensina* Can. 3. lib. fen. 6. tr. 1. c. 1. *Isaaco* l. 3. Theor. c. 17. hactenus ad tempora usq; *whartoni* notitiæ Prosectorum se subduxerint, qvum tamen supra laudati Medicinæ Heroes vasa illa, tam perspicue & fusé descripserint, ut & originem & substantiam, & numerum, & usum annotarint. Meatus vocantur *Galeno*, haurito-

ritoria salivæ *Abensinæ*, habitacula salivæ *Halyabbati*, *Isaaco* vero habitatio salivaris, quomodo tum Medicis appellata fuerunt. Distinguitq; *Abbas* hanc salivam ejusq; vasa ab oris alto, cui sufficit quod á superioribus ad ipsum à cerebro descendit. Unde superiorum vasorum salivalium gloria augetur, de quibus nuper repertis curiosè commentabitur civis noster & discipulus *Nicolaus Stenonis*, Anatomicis exercitijs addictissimus, quippe quorum nullam adhuc apud veteres memoriam invenimus. Nostra verò Vasa Lymphatica nemini adhuc in mentem venerunt, nec ulli ex tripode prædixerunt. Ne tamen antiquitatis prærogativâ destituantur, quia magna inde inventis nostris veneratio affulget, *Hippocratem* Divinum aliquid divinasse suspicor l. 6. Epid. sect. 3. t. 4, ubi aquæductus nominat, ex quibus sudor guttatim effluit. Ὀχετὸς *Hesychio*, & *Suidæ*, est canalis, fistula, aquæductus, rivus, & apud *Apollodorum* quidem Megaræus dicitur venisse Ἐξ ὀχετοῦ Niso opem laturus, quod *Ægius* Spoletinus vertit ex cloaca; sed emendat Vir profundæ eruditionis M. *Erasmus Vindingius* Regius Professor, &

Affinis noſter, in Græcia ſua, opere elimato, ἐξ ὀγχεςῦ h. e. ex Oncheſto, ſede imperij Megarei, idq; ex *Pauſania* eruditè illuſtrat, quanquam & ὀχετὺς per vias urinæ & ſtercoris in corpore, accipiat alibi *Hippocrates* l. de Art. Hoc loco doctiſſimus *Valleſius* canales retinuit. Rectius *Herm. Cruſerius* Campenſis Interpres Galeni in hos libros Epidemiω̃n, & poſt eum *Foëſius* Aquæductus vertunt, qui tamen poſtremus errat, quando in Oeconomia Hippocratica hos aquæductus per coeca cutis ſpiramenta & meatus exponit. Quis enim tales aquæductus vidit, per quos cribri inſtar aqua ſtillet. *Heſychio* verius ὀχετός eſt ἀεὶ ῥέων ſemper fluens, ut lymphaticis noſtris propius conveniat, & *Erotiano*, ἐκχύσεις τῶν ὑδάτων, ipſius *Homeri* teſtimonio. Hinc *Hippocrates* l. de Artic. per venas & arterias explicat, ut rectè *Galeno* novatum, & poſt illum *Gorræo* in definitionibus Medicis. Continuata enim ſunt vaſa noſtra, continué aquam profundentia, nec interrupta. Unde nec Lymphaticorum noſtrorum ſplendorem ſatis es aſſeqvutus, mi Deuſingi, quando in nervoſis tuis *Inſtitutionibus Anat.* part. 7. c. 4. text. 12. originem illorum

rum à pelliculis extremis repetis, ac membranis ambientibus, eò quod tenuis evaporatio in membranarum poros ac in habitu corporis forté inter cutem & epidermida se insinuans, exitum ulteriorem ex parte non inveniat, quæ condensata ibidem propulsaq; quo datur defluxus, meatulos hosce efformat sibi in membranis passim per quas feruntur: quam sententiam antea brevius proposueras cap. 1. t. 10. sed ingeniosæ conjecturæ, quo minus assentiar, ea faciunt quæ contra *Riolanum*, similia ferè fingentem, adduxi *Defens. Vas. Lymph.* c. 8. Nam tam sui generis vasa dici merentur & ὀχετοί, qvam vel lactea, vel sangvinea, & á primo ortu cum aliis vasis datâ industriâ à Natura producta, neq; per accidens emergunt pro evaporationum vario arbitrio & incerto. Præterea continui sunt hi ductus, sua serie naturali eleganter conformati, quanquam una illorum non sit origo, qvemadmodum clarissimè & nostræ & Olai *Rudbeckij* Anatomici Upsaliensis præstantissimi figuræ novissimæ ostendunt Per hos igitur ὀχετὺς sudor manat, & quidquid sudorem promovet, qvod de lymphaticis nos quoq; suspicati sumus in *Vas. Lymph. Hom.* c. 4. t. 8. Quidquid sit, illum honorem *Hippocrati* de-

fero, ut quasi per nebulam lymphatica vasa præviderit, quanquam nihil vel illius laudi decedet, vel nostris inventis, si illum multa ignorasse fateamur, quæ diligens manus nobis primis aperuit: nam

Multa dies, variusq; labor mutabilis ævi
Rettulit in melius. --- ---

Sed ad institutum sermonem, his in transitu prælibatis, resumpto calamo, mirari subit Bilsianæ philosophiæ stupiditatem, à Naturæ prudentia, ut credo, alienam. Natura enim crassioribus excrementis & liquoribus ampliora & patentia viscera & vasa destinavit. Ille contra subtilem chylum, quem rorem vocat, per manifestos, copiosos, & amplos chyli ductus mesaraicos, & thoracicos semper derivat: at crassum alterum, spissioris consistentiæ & vitreæ materiæ, chylum ipsi proprie dictum, ex intestinorum porulis per venas meseraicas rubras immediatè percolari perpetua lege fingit edicitq;, nullis vijs manifestis, sed per solos poros subtiles. Præterea crasso huic chylo invidit vasa peculiaria suiq; generis, quæ subtiliori concedit, quanquam commodius fuisset subtilem rorem sanguini mesenterico misceri, illiusq; societate per vasis cavitatem decurrere, qvam crassum

ſum, cui tamen propria vaſa erant neceſſaria. In officinis pharmaceuticis ſubtiles ſpiritus per veſicarum ſuillarum porulos prompte exhalant, remanentibus interea in fundo craſſioribus. Ipſa quoq; elementa contra craſſam illam philoſophiam pugnant. Minoribus alveis dulces puræq; aquæ decurrunt, ſalſæ & crasſiores vaſto oceano committuntur. At *Bilſius* tuus craſſum ſuum ſuccum chyli, per minimas vias repletaq; alio liquore vaſa diſtribuit, ſubtilem patentibus ductibus nulliusq; alterius humiditatis conſortio impeditis concredidit. Non multum illum juvas ingenioſo tuo de flatibus reſponſo, facile in auras evanituro. Manendum in eodem humorum genere, ut appareat numne ſubtilior liquor potius anguſtos meatus pervadat, quam crasſior. Credo pugnaturum Te quoq; pro ſubtili qui ingenio ſubtili polles. Cur flatus in magna inteſtinorum diſtenſione in vaſa ſubire non posſit, ſicut chylus, non eſt hujus loci inquirere. *Helmontius* aliquid conjecturâ eſt aſſeqvutus. Neq; enim flatus ita ſugi ab inteſtinis poſſunt, ſicut liquores. Singulari experimento probat Vir genere & ingenio æſtimandus *Robertus Boylé* De Vi aeris Elaſtica Experimento quinto, aërea corpu-

ſcula per veſicam agninam non poſſe pertranſire. Idem laudatus naturæ ſcrutator confirmat Exper. 36. alio experimento, ſi ſalis alicujus Alcalizati aliquantulum, aut calcem Tartari cum nitro præparato, in veſica arctè ligetur, atq; veſicæ fundus exterius in aquâ immergatur, illic enim ſi immerſa aliquandiu teneatur, per poros veſicæ tantum aquæ tranſcolari, quantum ad ſalem in liquorem ſolvendum ſufficiat. Una vero cum aqua penetrare quoq; äerem extra dubium eſt, ut hinc, quin ſubtilior aër cum chylo ſubinde quoq; meſaraicas pervadat, negare non auſim. Hinc enim flatulenta alimenta univerſo corpori moleſta ſunt, & per venas hinc inde flatus diffunduntur, ex aſſumptis cibis provenientes. *Hippocratis* doctrinæ hæc conſentiunt, quem hic & ubiq; omnium bonorum nobis ducem, ut loquitur *Galenus*, l. de Præcogn. ad Poſthumum c. 1. libenter ad teſtimonium voco, quod ſciam Te illius venerari authoritatem. Ille venerandus Dictator L. *de Flatibus* docet cum omnibus his quæ eduntur aut bibuntur Spiritum aut copioſiorem aut pauciorem ſubire, illumq; etiam ad ſanguine refertas corporis partes illabi easq; refrigerare ex febribus demonſtrat & illarum

ſym

ſymptomatis; inprimis monet dolores capitis in febribus oriri ab aëre, quia ſanguis vi pulſus per anguſtam viam tranſire celeriter nequit. Non igitur negat aërem tranſire per cerebri vel venarum membranas, ſed negat celeriter tranſire, & certum eſt celerius ſubtilem tranſire quam craſſum. Non diffiteor venas lacteas ad ſenſum in inteſtinorum cavitatem naturaliter non hiare, ſufficit enim cruſta inteſtinorum carnea, qua velut panno ſugunt & imbibunt chylum; ſed per conſuetum naturæ morem ad lacteas venas iſtum chylum pervenire, hiſce oculis videmus, quia ſucco candido ſolo diſtributionis tempore implentur, eoq; chylo, quem vos non niſi ratiocinando in vaſis ſanguineis meſenterij inveniſtis, de quo ſemper dubitare cogimur, quia purus chylus non comparet, ſed, ex veſtra confesſione, ſanguis cinericeus & ſubnigricans, an non aliunde obſcurior iſte color veſter, quam á chyli miſcela, proveniat.

Certé chylum non eſſe, qui in venis meſeraicis cinericeum ſeu ſubfuſcum ſangvinem efficit, ſi quidem efficit, ex accurata colorum naturâ videor perſuaderi. Cinereus color is eſt, in quo albus color nigredine obfuſcatur. Hic autem concurrunt colores

lucidi ambo, candidus & rubeus, ex quorum copula lucidus color emergit, neutiquam nigricans vel vester cinericeus. Notat insignis *Galenus* comm. 1. in l. 6. Hipp. Epid. omnes colorum differentias ab hac voce rufsum significari apud Coum, præter cinereum, qvum si ex sangvinis rufsi mistela cinereus color evaderet, aliter esset sentiendum. At contra naturam foret, si ex luce tenebræ orirentur, vel ex splendidis coloribus subfuscus. Experientia quoq; vestram experientiam destruit. Misceantur invicem lac tepidum cum sanguine tepido ex vulnere effluente, splendidior sanguis emerget, neutiquam obscurior. Fac periculum, & falsas istas conjecturas damnabis, naturæ & veritati adversas. Quanquam verò in cinericeo colore candor insit, quum ipse cinis candicet, candissimum in cinerem cornu Cervi redigatur apud *Scribonium* Comp. 122. & ipsa calx candidissima cineris quædam sit species, *Galeno* censente l. 8. Simpl. Medic. Facult: quanquam eidem colori nigror adsit, sicut revera adesse debet, quia cinericeus color ad Φαιὸν, fuscum propius accedit, quem *Aristoteles* l. de Color. c. 2. ex nigro & albo derivat, neutiquam ex rubro & albo; ex his tamen diffi-

cul-

culter obtinebitis, ex chylo necessarió sanguinem in venis meseraicis subobscurum cinericeumve effici, quia coloris hujus variæ esse possunt causæ aliæ præter naturam in corpore. Adduxi alias in *Spicilegio*, monuiq; fallere judicium ex coloribus desumptum. Iam superaddo, ut ea quæ de variatione humorum tempore consuti animalis dixeram, qvoq; illustrentur, primó admisso aëre externo, deinde in mora illa qvinq; horarum immutari colorem sangvinis & viscerum. Admissum enim aërem externum per apertum canis abdomen, deinde in consuto abdomine retentum, posse corrumpere & inficere sangvinis partiumq; colorem nativum, juxta mecum fateberis, exindeq; nonnunqvam sangvinem conspici candidum, nonnunqvam atrú. De aëre res nota, & pelvi exceptus sangvis post sectam venam docet. Eodem aëre intra corpus admisso turbantur interna, præsertim vinculo intus relicto, ut corpus universum commoveatur, & varij ad partem affectam & dolentem humores amandentur, vel statîm motu illo violento generentur. De vulneratis *Hippocrates* inculcat lib. 1. de Morbis, si externa quidem parte sanescant, interna veró minimé, purulentos fieri. Vulnus ve-

vestrum animalibus inflictum eandem aleam subit, quod per suturam quasi sanescit, de quo ulcere idem porró Cous ibidem pronunciat, dolorem vehementem & tussim & febrem afferre, ipsumq; ulcus, cum amplius calidum existat, sibi ipsi refrigerationem inducere, & á se caliditatem exhalare, pusq; expurgare. Mora deinde & calore accenso putredinali, facilé ad nigrorem torretur sanguis, quod in febribus evenit. In hoc tormento, quod ex Bilsiana ligatura aliquot horarum experiuntur miseri canes, insignis calor excitari potest, cujus paroxysmus omnem febrilem insultum superare videtur. In Hectica venas meseraicas tumentes & sanguine atro turgentes, eoq; crasso & veluti concreto, qui é majoribus venis, coralli instar nigri invicem cohærens extrahebatur, observavit *Platerus* l. 2. Obs. Uxori quoq; I. de Bourdenier in venis varicosis sanguis est collectus fusæ pici similis, apud *Ballonium* lib. 2. Ephem. & cum dolores essent, detractus est magna copia sanguis atramento similis, quod etiam de Roberto Reuchenio Vesaliense juvene robusto & bilioso annotat *Io. Rhodius* noster Cent. 3. Obs. Med. 70. Hinc sicut calore interno sanguis, præsertim in

mesen-

mesenterio, non tantum nigricat, sed concrescit, quod vidit & idem *Ballonius* in D. du Mesnil, & *Fernelius* l. 6. Physiol. c. 7. & laudato loco *Platerus*: ita & extra corpus coagulatur, ut exinde pro *Bilsio* non seqvatur, esse chylum, quia vel cinericeus est, subnigricansve, vel coagulatur. Vides tutemet, unde color varius adveniat, vides etiam, quia satis es oculatus, quos ex diutina illa ligatura manes sanguis in mesenterio patiatur. Moram tamen illam ideó necessariam inducis, quia lenta est succi lactei ex intestinis percolatio: Sed concitatior, me judice, est percolatio in violento illo motu animalis sub tortuta retenti adeó ut vasa lactea & ductus thoracicus manifesté citó impleantur. Deinde quanquam tardior esset percolatio, tingeret tamen dilueretq; purpureum vasorum mesaraicorum cruorem, vel per celerem raptum ad hepar, expulso sanguine omni, solus chylus relinqueretur in venis, & clarius ab omnibus videretur. Aliud igitur subesse debet, cur post longas demum moras, cinericeus subnigerq; evadat. Ad reliquias sanguinis confugit *Bilsius* contra clarissimum *Barbettium*, quæ in illis venis pro majori vel minori sui quantitate succum illum vel cinericeum

vel

vel magis fuſcum efficiant. Si ea ad accuratum judicij tui examen revocaveris, quæ ſupra hac de re diſputavi, credo conceſſurum Te, vel reliquias nullas ſanguinis tot violentis motibus ſub longo cruciatu ſupereſſe poſſe, vel non ita accuratè arterias eſſe vinculo interceptas, quin aliquid exinde & vicinis partibus alieni liquoris poſſit pervadere & coloris quamcunq; mutationem inducere. Ex reliquijs nonnullis rubri ſanguinis, quomodo ad nigrorem infici poſſit copioſior liquor candicans, nemo aſſequitur, & Tinctores pro impoſſibili habent. Ad cochlearia quatuor vel quinq; lactis tepidi, unum cochlear ſanguinis recentis miſcui, viſurus quid eveniret. Color inde emerſit ſplendens, minio ſimilimus, per aliquot dies conſtans, hinc ſeparatis ex ſe liquoribus, ſubſidente lacte, ſupernatabat purpureus ſanguis, quibus invicem iterum concuſſis & con quaſſatis, obſcurior quidem miſtura comparuit, ſed puri tincto ſimilior ob vicinam putredinem. Qualis verò tandem evaſerit ſoli expoſita & igni, poſt pauca dicturus ſum. Reliquiæ igitur ſanguinis quo parciores, eo candidior liquor cernitur, ſi candido chylo miſcentur, nunquam cinericeus vel nigricans erit, niſi &

oculi

oculi fallant & recta ratio. Si, quod promittit *Bilsius*, in cane robusto rité præparato, semper cinericeus sit liquor, idq; quia, ut Tu explicas, sanguinis reliquiæ e venis exprimantur, dic causam, unde cinericeus exsurgat color, rationem profer, cur non candidus sit ille liquor, reliquijs rubris expulsis, quem lactei coloris esse, nemo vestrum diffitetur. Tam autem certus sum, quam qui certissimus, nullum unquam tam accurato vinculo ligaturum arterias in ullo molosso, ut exinde lacteus liquor per naturæ consuetudinem attrahatur vel compareat in venis rubris mesenterij. Id si unquam præstiteritis, habebitis me vobis applaudentem, Hepatisq; partibus me sine morâ aut tergiversatione adjungam.

De cinericeo colore monendi præterea estis, frustra in subsidium á vobis advocari propter candorem, quem comitem habet, non enim á lactis seu chyli majori quantitate repetendus ille est, sicut vobis placet. Serum & pituitam immutare colorem sanguinis rubeum scripsi, & id quotidie in pelvi observamus. Non tamen ex intestinis, quod suspicaris. Vitio sanguinis ipsius in ipso sanguine generatur quoq; phlegma, & ex calore

lore colliquante vel resolvente serum, quod in ipso etiam sanguine antea delituit. Ab his nonnunqum in chronicis morbis & hypochondriacis, sanguis observatur in meseraicis vasis fæculentus, cinericeus, & glandularum excremento persimilis. Unde circa mesenterium & venam portam frequentius steatomata, scirrhi, & alij tumores oriuntur, quemadmodum præter alios notat *Hildanus* Cent. 1. Obs. Chir. 70. Cent. 2. Obs. 44. & passim alibi. Et lacti similia reddere alvus visa est in Apollonio cum insigni viscerum imi ventris offensione apud *Hippocratem* l. 3. Epid. s. 3. ægr. 13. qualia quoq; non ita pridem in splenetico Illustri post cruentas atrasq; dejectiones vidimus, ex quibus mesenterium apostemate corruptum vel putridum pancreas divinavimus. *Galenus* Comm. 1. in l. 6. Epid. ex sola pituita crassa & viscida colorem in urinis cinereum deducit. Menoni apud *Hippocratem* l. 7. Epid. urina ab initio cruda erat, cinerem colore referens, vel, sicut *Gorræus* interpretatur, ex cinereo colore albicans, qui color est crudi & diluti lotij. *Calvus* verò per cineres excolatam urinam intellexit & lixivio similem. si igitur ex sero & pituita sanguis mesentericus infici potest, cinericeiq;

liquo-

liquores fieri, quodnam vos pro chylo vestro habebitis subsidium. Cinericeus color illis partibus aspergitur, quæ cum chylo nullum habent commercium nisi remotissimum. *Hippocrati* l. de Corp. Resect. pulmo cinericeum colorem nactus dicitur, non certe propter chylum, quem illuc ferri ille ignoravit. *Ruffus* l. 2. c. 5. ὑπόλευκον, subalbum reddit. Hujusq; candoris rationem *Galenus* de Util. Resp. ab aëre repetit & igne, unde pulmoni, sicut cineri, plurima insit raritas. Est enim, teste *Haly Abbate* l. 3. Theor. c. 20. compositus ex fragili carne aërea simillimus sanguis coagulatæ spumæ. Hunc tamen colorem in ægro pulmone tantum non in sano admittit magnum Hippocraticæ scientiæ ornamentum *Io. Ant. van der Linden* Physiol. c. 6. t. 182. quanquam *Vesalius* l. 6. c. 7. fuscum viderit, non autem candente rubore rubeum colorem. Ex pulmonis abscessibus sputa candida, spumantia, cum saliva permista, alias cineracea, aut subnigrantia observavit *Aretæus* l. 1. de sign. & caus. diut. morb. c. 10. Nec id mirum, qvum puris colorem nativum cinereum credat *Galenus* Comm. in l. 2. Hipp. de Fract. ubi & accuratius docet, quo modo is oriatur. Eadem ratione sanguis in li-

gatura Bilſiana, vel in candidum corrumpitur, vel nonnihil lacteſcit, ſine chyli commercio manifeſto. Efficiens cauſa præſto eſt, calor nempe, in hac tortura auctus & conſtrictus: materialis quoq; ipſe ſanguis, ex quo vel putrefacto extra vaſa, pus album naſcitur, vel fermentato & per partes ex quibus conſtat, ſeparato in ipſis vaſis, & ex eo floridiſſimo (*Sanguine* enim *floridiſſimo* mea editio Hafnienſis prima nitet, quæ ſemper emendatior) candidus liquor, quem pro lacteo chylo æſtimamus, quo abundat ſanguis etiam maximè ſanus ſeu floridus, quanquam illi accuratè ſit permixtus. Non jam amplius locum habet Doctisſimi cætera L. *Dureti* in Coac. commentum, quod materia chyloſa nuſquam ſit niſi in ventriculo & tenuibus inteſtinis, adeoq; nec alibi generari lumbricos. In ipſo ſanguine chylus quoq; leviter in corde prima circulatione tantum immutatus, continetur, qui, ſi per calorem in ligato cane ſeparetur, cinericeumq; ſanguinem in meſeraicis venis conficiat, non utiq; ex inteſtinis immediata via tranſit. Cur ea Tibi, Vir acutisſime, minus arrideant, non perſpicio, qvum ſingula pro ſe authoritatem magnorum Virorum habeant, &

experi-

experientiam fallere nesciam. Cur sanguis, cum in vasis diutius moratur, albescat, inquirit *Galenus* l. 14. de Us. Part. c. 10. & in libris de Facultatibus Naturalibus. Ex ipsis venis candidum sanguinem fluxisse, pluribus demonstravi in *Hist. de Lact. Thor.* c, 13. & in Centurijs Historiarum. Idem postea aliis observatum. Ut *P. Borellum* Cent. 1. obs. 25. prætercam, unus jam sufficit *Rhodius* cujus gratum mihi semper nomen. Is Cent. 1. Obs. 36. in sacerdote vidit cum *Prævotio*, sanguinem in Tertiana duplici è salvatella secundum extractum plane album. *Idem* Cent. 3. Obs. 32. annotat *Syluatico* jubente puellæ suppressis mensibus in synocho sanguinem ter missum semper lacteum comparuisse. Apud eundem Uxori Centurionis in Cantabria puerum lactanti, quum febre continua laboraret, aperta basilica merum lac effluxisse notavit *Petrus á Castro* Medicus exercitatus, quod morbo per sudorem soluto in mammas redijt. Lac autem fuisse, non pituitam, coagulo fuit compertum. Quod natura ipsa secernit in corpore, extra corpus per tepescentem aquam Medici efficiunt. Ita *Fernelius* l. 2. Meth. Med. c. 17. sanguinem crassiorem in imo aquæ tepentis subsiden-

tem pro puro & secundum naturam esse judicat, si lucidus, tenuis, subalbidus, & cohærens fuerit. Ut de nihilo non sit artificium istius, de quo Cl. *Schneiderus* memorat, qui inspersо pulvere, sanguinem à lacte separavit, ut utrumq; seorsum appareret. Quod natura tentat, imitatur quandoq; Ars haud infeliciter. Nonnunquam separantur in corpore vivente, ut nuper dictum, & *Bartolettus* l. 4. Meth. de diff. Respis. part. 3. c. 3. in pulmonum defectu advertit, quem in *Spicilegio Secundo* c. 2. laudavimus. Quo referenda Magni *Hippocratis* in Pherecyda exscreatio alba, lactea l. 7. Epid. in quo tam impermisti erant humores alimentarij, ut nono die plurimus circa frontem sudor obortus sit colore admodum albo, quem de chylo si interpreteris, nullius offensas incurres. Multa enim observavit *Hippocrates*, quorum rationem temporis injuriâ ignoravit. Nec manes illius irritabuntur, si ex nostris recentiorumq; inventis illum illustraverimus. Utar in hanc rem similitudine divini *Platonis* Dial. v I. de Legibus : Si quis pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad pejus, sed ad melius futuro semper tempore progrediatur, nonne vides

cum

cum mortalis ſit, niſi aliquem artis ſucceſſorem reliquerit, qui ſi quid vel tempore ex animali abolitum fuerit, inſtaurare, vel per imbecillitatem artis ab artifice prætermiſſum adjicere poſſit, atq; ita fulgentius in dies animal reddere, laborioſum illud opus pauco tempore duraturum? Idem de medicæ artis ſubjecto, pulcherrimo animalium homine quoq; dictum puta. Amiciſſimus nobis & Naturæ fautor D. *Joel Langelottus*, Archiater Gottorpianus optimè meritus, nuper per litteras monuit obſervaſſe ſe ex corpore Equitum Magiſtri Baronis de Heiden, ſub legione Qvaſtiana in pugna Fionenſi *1659.* circa mediam dorſi vertebram ſclopeto vulnerati, copioſum albicantem humorem effluxiſſe, per intervalla continuatum, & tandem adeò invaluiſſe fluxum ut non ſolum lintea quintuplicia, induſium, lodicesq; imbuerit, ſed lumbos quoq; inundaverit. Pro liquore chyloſo hunc habuit Vir laudatus, á ſanie & ichoribus planè diverſum, deſtinatum veró ad totius nutritionem, inordinatâ hac viâ profluentem, quando quidem æger benè appeteret, cibisq; euchymis & delicatisſimis uteretur, corpus tamen indies magis magisq; contabeſceret.

Apertum cadaver demortui, pulmones monstrabat ea parte, qua vulnus inflictum fuerat, putredinem insignem concepisse, alioqvi suspicarer lacteum thoracicum initio fuisse læsum, indeq; chylosum ex vulnere fluxum emanasse. Hinc æstimandum lotium candidum & lacteum, de quo *Theophilus* lib. de Urin. c. 5. cruditatem malumq; exitum indicare asserit, quia causam vehementem prodit, quæ á sanguine chylum separet, vel, si præter naturam vel dilatata sint lactea vasa admittantq; chyli ab his transitum ad renes, quod nos alibi credidimus, vel si inserantur venæ lacteæ in truncum cavæ, quod fieri suspicatur *Riolanus* in Annot. ad lib. 6. Encheirid. Anat. ult. edit. Paris. in lacteis urinis nulla in renibus exstante purulentia, utrobiq; defraudato alimento, cruditatem & atrophiam inducit. Nuperrimé Romæ *Io. Trullus* Chiron redivivus observavit, sicut in literis ad Excellentissimum nostrum D. *Henricum à Möinichen* testatur, in eruditissimo *Luca Holstenio*, quem rebus humanis exemptum orbis doctior deplorat, tabe renis utriusq; laborante, chylum impermistum sanguini, copiosum cum lotio copioso effusum.

Tu veró porró, mi *Deusingi*, succum illum

illum cinericeum, qui in venis mesaraicis post ligaturam arteriarum reperitur, ut Bilsianas partes tuearis, separas ac distinguis á lactis substantia, quia succus ille instar vitri fusi se habeat, & soli expositus indurescat instar vitri ab igne remoti ac refrigescentis, quod de lacte vel diutissimé in radijs solaribus detento non similiter verum est. Egregium factum, quo & *Bilsius* & Tu causâ cades. Eodem ego argumento in *Spicilegio* Bilsium oppugnavi, demonstraviq; ex lactis natura, quod cinereus ille succus non sit chylus. Si enim chylus esset, non posset vitri in morem concrescere. Iam qvia ex observatione. Bilsiana succus ille, sanguinis instar, exsiccatus indurescit, splendetq; ut vitrum, utiq; sanguis erit non chylus, nec lacteam materiam secum vehet, quam observavi etiam diutissimé soli expositam nunquam vitri instar concrescere. Quo certior essem, lactis magnam partem sanguine pauco permistam in pelvi diutius solis radijs exposui. Vix longâ mora impetravi massam siccam, minime splendentem, sed friabilem, subobscuriq; coloris, quæ affuso liquore vini, lixivio similis emersit, quo super carbones exhalante, sal subfuscum remansit, cui ite-

iterum aceto affuſo, cinericeus demum color affulſit. Non exiſtimo, chylum Te á lacte ſeparaturum, alioqui cum propria umbra luctaberis. Dubitare hic videris, ſed mox pedem retrahis á *Bilſio*, éo quod omninó plurimum alimentariæ ſubſtantiæ eidem lacti, ſeu Rori, quem ſolum lactis nomine dignatur, ſubeſſe agnoſcas, ſecus ac *Bilſio* viſum, quem etiam in hoc paſſu deſerit *Zasſius*. Ros certe ille in ductu Thoracico tam candicat, tempore diſtributionis alimentorum, quam chylus in meſaraicis, nec ullam video inter utrumq; liquorem differentiam, ſi locum recipientem exceperis. Eadem promptitudine lacteus chylus ex ductu thoracico, ſanguini in axillaribus mixtus, in ſanguinem mutari poteſt, quam veſter chylus, proprie ita vobis dictus. Nullam utriusq; liquoris differentiam in cuniculis deprehendit dignus Te præceptore diſcipulus *Anthonius Everhardi*, qui lib. de Hom. & Brut. Exortu, in cuniculis lacteam hanc materiam per lacteas venas ad omnes corporis partes diſtribui vidit pro illarum nutritione. Cum alimentarium ſuccum neget, cur Rorem appellaverit Bilſius, ignorare cogor. Omnis ros candicans, nutrimentum eſſe poteſt, qvale eſt Man-

Manna, lac illud ex arbore Queſt, ut loquitur *Garcias ab Horto* l. 1. Hiſt. Arom. c. 11. quod egregie illuſtras in mellea tua *De Manna* Diſſertatione. Nutritioni aptiſſimum eſſe hunc rorem, Manna Iſraelitarum fidem facit *Exod.* XVI. *Num.* XI. Et quanquam evaneſcente lacteo colore roſcidus ſuccedat aqveusq; is tamen ex lympha allabente diluitur, qvod Chylo in meſeraicis lacteis contento quoq; evenit. Non iccircó lacti chyloſo ſuum ſubtrahendum vas, nec primaria ex lacte vaſis appellatio, præſertim quum purum eſſe rorem aqueum in ductu thoracico irrorandis partibus tantum deſtinatum ſine nutritione, & color candidus ſæpe ibidem multorum oculis viſus impugnet, & vos recté pernegetis. Ludat ille in Roris nomenclaturâ, nos interea certi ſumus, candidum hunc eſſe rorem, qui per thoracicum ductum diſtribuendus decurrit, & rorem hunc candidum non minus nutritioni partium á Natura deſtinari, quam vel mannam Iſraëlitarum, vel rorem communem, quo abſorpto æqué ali arbores ac per radices, aſſerit Naturæ amaſius *Harvejus* l. de Gen. Anim. Ex 10. ſed linquamus illi ſuum cum glandibus rorem, puramq; aquam, modo Tu nobiſcum lacte veſcaris

fcaris, candidus fis, & lacteam dicendi ubertatem candore tuo illuftres.

His aliisq; prætermiffis, quibus Hepati reducendo & á veterno refufcitando doctiffimé defatigaris, meq; ad obfequium dominij priftini conaris referre, amicaq; manu adjuvas, tandem ad caput ipfum negotij progrederis, Hepatisq; ufum á nobis cum *Pecqueto* admiffum deftruis, ut in plena priftinæ dignitatis poffeffione Hepar tuá operâ reftituatur. Et Hepati & mihi gratulabor, fi Te voti tui compotem Naturæ facilitas & diffufa eruditio reddiderit. Illi quidem, quod tali Æfculapio revivifcat, mihi veró, quod á tanto Viro in viam reducar. Non invitus fidelitatis juramento me inter primos obftringam, crimenq; læfi principatus hactenus admiffum, fubmiffe deprecabor. Haud ullo in genere venia eft juftior, fi modo, quod *Plinius* l. 3. inculcat, minimè mirum eft, hominem genitum non omnia humana noviffe. Valdé tamen metuo ne in caffum labores, operamq; perdas & oleum in illo excitando, qui profundo fomno non tam immerfus quam planè fubmerfus. Ingentem interim conatum deprædico, quod tot laboribus & vigilijs partam eruditionem & variæ

variæ doctrinæ usum in salvando viscere nobilissimo impendas. Si successerit institutum, á jecinore gratias, á corpore universo laudem, ab omnibus qui corpori suo favent ejusq; incolumitati & incremento, immortalitatem famæ consequeris, quæ quanquam hactenus editis monumentis præclaris & obitis in illustribus Cathedris muniis abunde sis consequutus, hac tamen qualicunq; accessione testaberis, nihil magnæ famæ magis incumbere, quam de omnibus bené mereri. Hoc animo tuam Epistolam legi, eodem conatibus tuis applaudo, & amice respondeo. Veniam tamen dabis facilem, quod illis subscribere non ausim, quæ vel evidente sensu vel certà ratione destituuntur. Omnem assensum sancté Tibi polliceor, quandocunq; infallibili oculorum testimonio & indubijs rationibus convictus fuero. Naturæ enim & veritati sacramentum dixi, nec mea refert, an Hepar primas in sangvine conficiendo partes teneat, an Cor. Pacatiora erant nobis tempora sub imperio Divi Hepatis, quanquam injusto. Mutatio omnis periculosa, inprimis in Rebuspublicis, quarum mutationes, etiam á pejoribus ad meliora, raró sine detrimento aut turbis fiunt, quæ

ut

ut evitentur, ſæpe videmus meliora probamusq;, deteriora ſequimur. Utinam redeant ſecula illa tranquilla, quibus ſub auſpicijs Iecoris, mortales per antiquam tritamq; ſemitam graſſabantur. Iam mutata rerum facie Cor Princeps oeconomiæ Animalis invaluit, ſed cordati nos eſſe deſivimus. Alij ſuam ſortem deplorent, mihi certé mutatio iſta & bonorum & famæ fere diſpendio ſtetit. Fluxit nobis antea lactis ubertas, at cum Lymphaticis Vaſis, diligentiæ noſtræ publiciq; amoris teſtibus, pleno gurgite aqua ſucceſſit, ut pené cum indoctis *Scaligeri* Grammaticis vinum limphatum bibere cogamur. Cordis patrocinium tam ferax mihi fuit inimicorum, qui protervè in famam meam debacchati ſunt, ut ſecurius ſub minoris Hepatis vixerim clientelâ, quam ſub magni corporis humani Monarchæ dominatu. Unum tamen ſolabitur temporum aduerſitates, quanquam cum Lymphaticis vaſis cordisq; imperio decreverit Peculium, & fama apud invidos nonnihil ſit detrita, mihiq; ipſi diſpliceam, ſortis melioris ſpe decollatâ; poſteris tamen, bonisq; rerum æſtimatoribus, inter quos Te numero, documentum ero, quanti quisq; fortunam ſuam præ publicâ inno-

innocentia & naturæ veritate debeat æstimare. Verissimè enim *Plato* Epist. 2. ad Dionisium, probatissimos viros cuncta facere, quo in futuris seculis bene inter homines audiant. Pro comperto habeas, non aliam me ad Hepatis funus causam impulisse, quam veritatem, utriq; addictam, neutiquam novandi studium aut seditionis amorem, aut lucri cupidinem in hujusmodi mutationibus usitatam. Res ipsa pro me loquitur, ut vel inimico judici, sed erudito & sincero, approbari possem. Spondeo denuò, nunquam me obfirmaturum animum, si pro Hepate quicquam obtinueris. Nondum persuadere me potuerunt Bilsiana experimenta, quæ Te tuumq; assensum vicerunt. Probavi enim pronuper tam certa non esse, quin dubitandi relinquant causas. & maximam partem ex invidiâ ab ipso esse suppressa, ut firmum de non visis judicium ferre sit imposibile. Chylus certè corporeis oculis in venis mesaraicis neutiquam à *Bilsio* exhibetur videndus, sicut refers, sed ratione & conjecturâ investigatur, quia cinericeus est ibidem sanguis & subfuscus, quem colorem, quia proprius non est chyli, nec consuetus, aliunde sanguini posse advenire

in

in loco demonſtravi, & ex notioribus explicavi, memor *Pauli* ff *de diverſ. Reg Iur.* t. 14: in obſcuris inſpiciendum eſſe quid veroſimilius, vel quid plerumq; fieri ſoleat. Urges: Cur non in alijs partibus æqué ſanguis in ſuccum cineritium convertitur, durante ligatura, quam in meſentericis venis. Verbo reſpondeo, quia forſan in aliis partibus ligaturam iſtam eo modo, ea mora non adminiſtraſtis. Deinde alibi ille ſanguinis fæculenti & ad mutationem hanc apti confluxus non eſt, nec miſtura ea ſanguinis ex liene, meſenterio, pancreate, inteſtinis, ventriculo, omento, alijsq; partibus quæ portæ ramos recipiunt vel emittunt. Si recté morborum calculum ponas, multi illi variiq; ex hypochondrijs pullulant, qui aliis partibus communes non ſunt, eo quod abdomen plurimarum affectionum mater ſit, ob varia excrementorum genera, ob varia varij ſanguinis vitia huicq; regioni feré propria, quæ nunc non repeto, ne Tibi mihiq; ſim moleſtus, quanquam & cinericeum iſtum colorem aliis competere ſuperiori occaſione expoſuerim, & talem alibi quoq; eſſe ſanguinem, qualis in his venis meſaraicis, vix ſit dubitandum. Paucis data per Te commoditate

tate ad Hepatis officium progrediar, ne quidquam eorum omisisse videar, quod scrupulum movere solutione dignum possit in erudita Tua Dissertatione Epistolica.

Inventis per DEi & Naturæ gratiam Vasis Lymphaticis, eo loco prope Hepar, quo alias lacteæ Asellianæ chylum hepati ad sanguificationem inferre putabantur, perculit illico invisa res animum sic satis veteribus addictum, dubitaviq; quid de Hepate ejusq; officio antiquo tandem fieret, si quidem nullæ lacteæ venæ ad Hepar pertingerent, & quæ hactenus pro lacteis habitæ fuerant, essent vasa nova, quæ Lympham suam ex Hepate efferrent, quemadmodum per ligaturas docebamur, quicquid jam in contrarium obvertant Bilsiani contra fidem oculorum, quia ex *Galeno* l. de Marcor. c. 2. non didicerunt, sophistarum morem esse contra experientiam loqui. De meseraicis venis nulla subijt cogitatio, in quibus manifesto sensu nunquam ullus chylus comparuit. Igitur qvum de Naturæ veritate & salute pariter Hepatis sollicitus essem, ne frustra conditum magna providi creatoris injuria existimaretur, in officio à Cl. *Pecqveto* ipsi assignato acquievi, nempe neutiquam sanguinem ex chylo

chylo conficere, ſed confectum depurare & à bile inſtar colatorij ſecernere. Unde liquet contra rigidam clariſſimorum Virorum cenſuram, qua mente, quove ſenſu Epitaphium tumulato Iecori erexerim. Non quod in corpore deficiat, aut abeſſe poſſit. Hac neceſſitate lienem antevertit, quem curſoribus olim exemtum *Plinius* author eſt l. 11. c. 37. Homini exſectum ſemel annotat *Fioravantius* in Sicilia. In Anglia canibus, felibus, ſuibus innoxiè adimitur. Nuper hic Hafniæ in præſentia ſereniſſimæ Reg. Majeſtatis binis canibus, minori primum, mox majori à Chirurgo Regio Philippo lien celeri manu & cultro ademptus fuit. Supervixit minor, & jam optime convaluit, commodeq; liene caret, at alter major, biduum non attigit, forſan quod vel diutius ante ſectionem eſſet vinculis in ſcamno ferali conſtrictus, vel quod lien illi eſſet major, adeoq; vaſorum ligatura perennis non eſſet, ſpithamam enim unam cum media feré longitudine æquabat. Quanquam veró exſcindatur lien, non ideò tamen per naturam abeſſe poteſt, ſicut nec uterus, nec brachium, nec quævis alia pars, quæ ſubinde reſecatur, commodé deficit, ſed abſentis interea officio defungitur vel hepar,

vel

vel pancreas. Hepatis veró majorem necessitatem putavi, quam ut universum tumularetur. Nec ideò exsequias illius celebravi, quod omni prorsus munere privatum ferietur; sed quia principe sanguificandi officiò excidit, sicut aperté indicant quæ de hoc argumento hactenus commentatus sum. Strenuè pro antiquâ illius dignitate pugnavit veteranus in arte nostra *Riolanus*, aliiq; non pauci, quorum rationibus, nisi fallor, abundè satis feci. Tu, Vir eruditissime, alia rem aggrederis via, & ex Bilsianis principijs confectum pro Hepate antiquo negocium existimas, nebulasq; discutere conaris & hic & in *Exerc. de Sanguif.* quibus nostrorum oculorum vitio Hepar deliquium passum est.

Scilicet perperam in venis lacteis chylum quæsitum suspicaris, quod *alibi sub sanguinis purpurâ velatus, oculos fugiens per aliam viam, nempe venas mesaraicas, in Hepar deferatur.* Ipsum te hoc paragrapho oppugnas. Si oculos fugit chylus, qua veritate asseris à *Bilsio* evidenti experimento & corporeis oculis visum esse in mesaraicis chylum. Si oculos fugit, qua certitudine illos oppugnas, qvi illa seqvuntur & tuentur, quæ oculos non fugiunt? De occultis non judicat Ecclesia, nec

Anatomia. Sicut Iuris Consulto turpe censetur sine lege loqvi, ita & Anatomico indignum est, sine evidenti experimento vel nova proferre, vel defendere. Rectius nos in venis lacteis solis quæsivimus, quæ ad oculum patent, quam vos, quæ oculis se subducunt & ratione qualicunq; vel conjecturâ in lassis lactibus, ut cum *Plauto* loquar. Nos certi ex ijs quæ vidimus, vos ex invisis incerti. Opinio, ex conjecturis, ex sensibus veritas oritur, quorum illa, teste *Hippocrate* in Lege, ignorationem parit, hæc scientiam. Hinc æquam meam conditionem *Zasio* oblatam reputa, quod velim illi credere, si ex Magistri sui compromisso per manifestas vias lacteas mihi ad Hepar chylum perduxerit; quæ enim de venis mesaraicis promit in defensionem illius, me non movent, quia occulta sunt, neutrius oculis conspicua, & meræ conjecturæ, ex quibus nulla ars nisi apud imperitos conficitur. Recté quippe Polus ait apud *Aristotelem* l. 1. Metaph. c. 1: experientiam efficere artem, imperitiam veró casum.

Deinde *nequaquam rationi consentaneum videtur* Tibi, *alimentarium succum in Hepar infusum, nil in eodem concoctionis subire, nil elaborationis sustinere in calido viscere, eoq; peramplo.* Nisi

Nisi erro, sub succo alimentario sanguis latet quem de chylo si interpreteris, eundemq; ex intestinis ad Hepar immediate traduci oculatâ fide demonstraveris, tecum sentiam concoctionem aliquam & elaborationem ibidem subire. At si de sangvine sit sermo, nego concoctionem novam ibidem sustinere, quia primo, ante concoctus fuit in corde quam ad Hepar deveniret; deinde cavitas nulla sufficiens est, in qua concoqui possit. Si ordine omnium concoctionum in corpore officinas percurras, nullam invenies quæ manifesta careat & capaci cavitate, in qua tanquam in olla fermentationem concoctionemq; promoveat Natura. Ventriculum, cor, cerebri ventriculos etc. in dictorum fidem acclamo. Non nego elaborationem aliquam alibi & hic quoq; fieri posse, sed illa est proprij alimenti. Calidum viscus & peramplum separandæ bili erat necessarium, quæ, ut loquitur *Democritus*, in omni quidem natura inest, sed in aliis quidem minus, in aliis verò copiosius. Pro copia igitur bilis secernendæ nativa hepatis amplitudo variat. Hincq; aucto ex bile copiosa calore, jecinora increscunt. Sua ætate fæminam grandævam vidit Parens *C. Gemmæ* l. 1, Cosmocrit.

c. 6. quæ ne ad momentum quidem absq; ingeſtione ciborum & potuum vivere potuit. Caloris bilisq; exſuperantiam tantum cibi potusq; deſiderium indicat, unde qvum in hujus modi copioſa bilis & in corpore ſit & generetur, vaſtum hepar eſt neceſſarium, quale quoq; in aperto defunctæ iſtius feminæ cadavere inventum fuit, integrum, turgidum ſanguine ſpirituq;, impenſiusq; rubens ac mole ineffabili, ut ſola ſcilicet magnitudine membra ſpiritalia & conterminas partes oppreſſerit.

Præterea *à ratione alienum videri* credis, *hepar pondus inutile, merumq; colatorium habendum, qvum ad ſimplicem percolationem neqvaqvam tanto viſceris parenchymate naturæ fuiſſet opus.* Sed, mi *Deuſingi* ex tua ipſius confeſſione *Exerc. de Alim. Depur.* § 60. eſt naturale colum pro hepatis liquoribus, inprimis bile percolanda, ut adeo, quanquam merum ſit colatorium, pondus ideo inutile dici nequeat. Satagit rerum ſuarum, ſi ex naturæ inſtituto & œconomiæ animalis commodo, hoc ſolo officio defungatur, magnoq; viſceris apparatu opus habet, ut in particulis magnitudine ac figurâ diverſis, (utor verbis tuis) porulos habeat magnitudine item

item, figurâ situq; diversissimos; quorum alij miscellam variorum in massa sanguinea humorum per truncum venæ portæ ac propagines promiscué admittunt; alij ex eadem sanguinis miscella bilem suscipiunt, eandem in canalem & porum bilarium transmittunt, alij deniq; purificatum á bile sanguinem admittunt, transmittuntq; in extremitates capillares venæ cavæ. Tot actiones diversæ, diversarumq; actionum particulæ, amplum visceris instrumentum postulant. Non minus ad simplicem percolationem suum parenchyma requirebat Hepar, quam lien ad succum acidum. Nec major illius quam hujus est eo passu dignitas, nec nobilius parenchymatis officium. Lien nothum hepar olim dicebatur, quod similes utriusq; essent actiones, ob viscerum similitudinem & loci affinitatem, ut sicut lienis parenchyma sanguinem ab acido succo liberat, vel illum huic miscet, ita & hepar succi flavi commercio vel liberetur vel jungatur, in quem finem utriq; suum vas excretorium adjacet, huic vesicula fellea, illi ductus pancreaticus. Unde & similes morbos utrumq; feré viscus patitur, quod simili dicatum actioni existimetur, & Hepaticum morbum cum splenetico

apud *Hippocratem* libb. de Morb. conjunctum legimus, morborumq; utriusq; partis permutationes, utriusq; Regius morbus, utriusq; per ruborem significationes ibidem in *Epidemijs* recensentur. Ad rem nostram *Galenus* l. 6. de Loc. Aff. c. 1: Splen habet multa accidentia cum hepate communia, illa nulla re differre videntur nisi quod quædam magis, quædam minus alterutri evenire solent. Tanta moles requirebatur, ut primó sufficiens fieret biliosi succi percolatio, deinde ut accurata; utrumq; veró, ne restitans in sanguine bilis vel calorem præter naturalem accenderet, vel fœdo cutem colore inficeret. Destruit Hepatis officium à vobis propugnatum, ipsa Hepatis conformatio, cui nullam idoneam cavitatem insculpsit primus plastes, imó quod nullo alio sanguinis colore subinde inficitur, præter biliosum. Lampetræ enim jecur viride invenit *Bronzerus*, dubio procul ab æruginosa bile, & *Rhodius* noster, Musarum delicium, Cent. 3. Obs. 20. Patavij in juvene ictero diuturno extincto universum jecur observavit viride, qualem colorem assiduo herbarum ac biliosorum esu adscribit idem Vir summus, qvum potius vitium hepatis incusari debeat, quod ab officio cola-

colatorio cessans, bile coacervata intra se, bile immersum deturpabatur. Valde officit vestræ sententiæ, quod Hepar antequam sanguinem possit conficere, unice occupetur in bilis separatione ab alimento fœtus. Docet id observatio *Harvej* De Gen. Anim. Exercit. 22. vobis quoq; juxta mecum cognita, qui fel virescens intra hepatis lobos inveniri tradit, antequam hepar colorem sanguineum nanciscitur. Individua utriusq; videtur copula, ut nullum unquam Hepar reperiatur, quod fel non habeat, quanquam subinde viscus ipsum vel sanguine vel ejus tinctura destituatur. Deniq;, si antiquitatis consensu à suscepta opinione dimoveri vos patiamini, *Galenum* audite, vobis antea lectum & laudatum, qui Lib. de Theriaca ad Pison. cap. 16. ex usu Theriacæ jecur prompté bilem secernere prodidit, nullâ sanguinis factâ mentione, cujus productionem venis ibidem attribuit, neutiquam hepati, á quo defecatum sanguinem cor suscipiat. Contra receptam de Hepatis usu sententiam, præter alia alibi signata, unam experientiam afferam antequam hinc digrediar. Hisce diebus Consultationi cum Medicis Experientiâ & eruditione inlytis D. *Paulo Mothio*, & D. *Christiano*

Ostenfeld Amicis meis & Collegis æstimandis interfui, pro Nobili Matrona XXXII. annorum, quæ altero jam anno gravida creditur ab obstetrice imperita, revera tamen hepatis adeó vasti, ut universum abdomen in ingentem molem distendatur, scirrho laborat, optimé tamen valet, nisi quod expeditus non sit ingressus, plethorica est, cibum bene appetit & concoquit, universo habitu sana, corpulenta & sanguinem bonum conficere videtur. Nisi grave tibi sit, hanc ad animum historiam revoca, ut concedas in hepate primam præcipuamq; non esse quærendam sanguinis conficiendi officinam, alioqui hæc nobilissima Matrona jam atrophia emarcuisset, quam, meo judicio, tam diu evitabit, donec pondere increscentis visceris Receptaculum lacteum, venæq; lacteæ, compressæ fuerint, ut per ductum thoracicum chyli via ad Cor intercipiatur, vel si mole tandem parenchymatis hepatis vasa hepatica bilisq; percolatoria conciderint, cachexiam aliaq; seqvutura mala incurrat, quæ ex obstructione harum partium solent evenire. Sed quanquam ex voto vestro succederet contra me hæc disputatio, non ideó tamen Hepar vel servatum erit, vel in pristi-

na

na dignitate restitutum. Quamvis enim bili separandæ destinatum non sit, non ideó tamen sanguinem conficit, qvum plures aliæ sint actiones, quibus accingi potest. Displicet quippe ille idem Hepatis usus Celeberrimo & Expertissimo D. *Francisco Sylvio*, veteri meo amico summé honorando; unde *Disp. Med. Sext* de *Bil.* & *Hep. Us.* th. 48. inservire credit 1. continendis, firmandisq; teneris venæ cavæ, ut & Portæ Venæ ramis, una cum Bilarijs Ductibus Hepaticis intra Communem Vaginam conclusis, & in capillares propagines discerptis; 2. ut parenchymatis sui blando fotu promoveat bilis & sanguinis per venas prædictas refluentis permistionem. Sanguificationi tamen adversatur Vir naturæ consultissimus, quam nobiscum Hepati detrahit, Bilsianæ hæreseos strenuus hostis, ut quæ hoc in passu de Hepate statuimus, neq; Clotho revolvat denuo, neq; Atropos immutet.

Tandem tamen ut pro *Bilsio* evincas contra *Spicilegij* nostri *Secundi* argumentum sextum, sanguinem in cava prope Cor non ideò puriorem esse illo qui in venâ portæ continetur, quia in hepate depuratus fuit ex meâ responsione, negas bilem in hepate se-

gregatam tam insignem non modó in colore, sed & in substantiæ modo diversitatem massæ sanguineæ inferre, ut infra Hepar in vena portæ reperiatur densi & obscúri coloris substantiæq; succus, ex observatione Bilsiana, ille veró qui Hepar transit in vena cava jam limpidus & rubicundus inveniatur. Sed salva res est, quia in Hepate depuratur muluplex concurrens sanguis ex arteria Cæliaca & vena portæ ejusq; ramis splenico & mesenterico, qui ex recursu nutritarum partium sordidarum evanidus quasi, torpens & turbidus in Hepate filtratur, depositisq; fæcibus clarior ad venam cavam properat, & adscito in societatem sanguine cæliaco arterioso, rubicundior progreditur. Ex principijs Sylvianis res quoq; est clara & expedita, siquidem ex admista in Hepate bile sanguis fit fluidior & tenuior, quod nec pictores ignorant, qui felle utuntur ut fluidos colores reddant. Dubitas igitur justis de causis, Vir doctissime, an non á bile tenuior sit substantia? Forsan, si á bile pura. In hepate autem alijs est permista, in primis sero, quod in Hepate quoq; separatur & per lymphæ ductus expurgatur. Ita apud *Hippocratem* l. 1. de Morb. à bile & pituita ad vesicam con-

flu-

fluente, crassa urina redditur. Ex ejusdem Coi alioqui doctrina, á bile turbantur humores in corpore. Hinc bile ad caput delato, urinæ claræ in *Aphorismis*, & malæ in *Coacis* & l. 3. *Epid.* ægr. 4. & dolor capitis ex bile sedatur ubi urinam crassam reddiderit l. 2. de Morb. & l. 3. Epid. In morbo Regio urina est crassa & biliosa, quod quotidie experimur in Ictericorum visitatione, annotavitq; ante Hippocrates lib. 2. de Morb. & in febre quoq; ex bile, *Ibidem*. Quanquam in Hepate nulla melancholici succi fiat separatio ex liene delati, secus ac veteribus placuit, tamen & succus ille lienis, quo infectus est sanguis in hepate depurandus, liquidior serosiorq; ex *Hippocratis* doctrina, acido succo imprægnatus, separatione in Hepate indiget, & expurgatione per vasa Lymphatica, dum biliosus per canalem bilarium excernitur. Ex his veró humiditatibus varij generis ex varijs partibus alvinis confluentibus, quin turbidus evadat sanguis portæ infra Hepar, dubitari non potest, & tales liquores miscentibus apparebit, ut ad chyli miscelam confugere nulla cogamur necessitate, qui minus turbat & obfuscat sanguinem quam serosa acidaq; lienis colluvies. Miror profectó cur chy-

chylum candicantem, appelles obſcuriorem & turbidiorem ſuccum. Lucis mixturam habet color candidus, ſi quidem pateris id de chylo & lacte dici. Differentiam enim eruditi conſtituunt inter candidum & album, illud eſt quod quadam nitenti luce perfunditur, hoc pallori vicinum, ſicut rectè monet *Phil. Iac. Mauſſacus* Animadv. ad Hiſt Animal. Scal· ad p. 256 Candidus hac ſignificatione eſt chylus, ſi vitri in morem concreſcat & ſplendeat ex *Bilſij* obſervationibus. At lac ipſum, quia purius chyloq; perfectius, candore illuſtri magis omne coruſcat; fabulæ enim vicinam eſſe credo *Plinij* narrationem l 2. c. 103. equas in campis Ponti à fluvio Aſtaces rigatis paſtas, *nigro lacte* gentem alere. Tantum igitur abeſt ſanguis meſentericus admiſto chylo albo reddatur obſcurior, ut potius illuſtrior fiat, ſi quidem, de quo valdè dubito, amicè inter ſe uterq; humor in meſaraicis venis concurrit. Affirmare auſim tam ibidem amicè non convenire, quam nos in hac pagina de Hepatis fato velut in Areopago deliberaturos. Mortuum ego exiſtimavi & antiquo ſanguinis munere defunctum, Tu alto ſopore tantum obdormiviſſe, ſubductumq; ad tempus oculis

lis mortalium. Male ſit hujuſmodi Endymioni, qui protracto in pluſculos annos ſtertore, mortuo ſimilis à neceſſario officio quieſcit, ſed Tibi bene ſit, qui aurem vellicas. Valde tamen metuo, quanquam & tuam in gratiam & antiqui muneris recordatione, optima illi quæq; precarer, ne eadem facilitate ex mortuis reſurgat, qua ſomnum excutiat, mortis imaginem. Adeo ut una utriq; mens ſit, una voluntas in ſorte Hepatis definienda, quam ego inter mortuos, Tu in ſomno morti ſimillimo quæris.

Aliorum interim curioſas artes rideo, qui pacem funeri denegantes, ex buſto refodere conantur & à rogo referre, majori ſpe quam ſucceſſu. Noverca Hepati fuit Natura, quod genere ſexuq; brutorum cenſeatur, qvibus nec á brevi morte reſurgendi datur poteſtas, quicquid deniq; pro reſtituendo ſpiritu laborent veſpillones. Quicunq; in hoc puluere deſudant, ſimiles mihi videntur Pythoniſſæ in Endor, quæ Samuelem defunctum rogatu Saulis olim ex tumulo reducere tentavit I. *Sam.* 28. Qvum enim omnia tentaſſet, non verum Samuelem, ſed vel umbram ejus tantum & ſpectrum eduxit, quemadmodum præter alios evincunt *Anania* De Nat.

Dæ-

Dæmon. l. 3. *Vierus* l. 2. de Præstig. Dæm. c. 9. I. G. *Godelmannus* l. 1. de Necromant. c. 4. aliiq;, vel eduxisse simulavit, sicq; timidum Regem novo spectaculo inhiantem pessimé delusit. Inquieti sunt Hepatis manes, & terra gravis, quia injusta fuerat alieni dominij usurpatio, nec ideo facile sine spectris tumulus illius aditur, quæ si pro vero Hepate accipimus, eoq; redivivo, egregiè fallimur, & velut ab igne fatuo, in cœmiterijs defunctorum oberrante, seducimur ad avia. Fateor spectra hujus modi vera corpora mentiri posse, & quadam similitudine imitari, sed tandem dolus fit manifestus, imprimis si convitia & exsecrationes successerint. In quam rem Tibi ex *Georgio Sabino* Peuceri affine in Comm. l. 10. Ovid. Metamorph. hanc historiam recitabo, partim ut gratâ jucundaq; varietate longioris Epistolæ tædium leniam, partim ut alij exemplum habeant, quo territi á convitijs abstineant, qui resuscitando Hepati operam suam addixerunt. Fidem tamen meam hic non obstringam, ad authorem suum relegaturus quicquid dubium aliis videbitur. In Bavaria virum nobili familia natum, extincta uxore, tantum animi dolorem cepisse refert Sabinus, ut nullam admitteret consolatio-

lationem, ac vitam ageret in ſolitudine. Tandem ubi nullum finem lugendi faceret, uxorem ejus comparuiſſe, excitatam à mortuis, ac dixiſſe, ſe quidem ſemel confeciſſe curriculum vitæ á Naturâ datum, ſed importunitate ipſius revocatam nunc eſſe in vitam, atq; à DEo juſſam uti ejus adhuc conſuetudine diutius, hac tamen conditione ac lege, ut matrimonium morte ſolutum denuo per ſacerdotem ſolenni ritu jungeretur, utq; deinceps ipſe abſtineret blaſphemis convitiandi verbis, quibus uti conſueverat, ſe enim horum cauſa ei ademptam fuiſſe, atq; iterum exceſſuram é vita, cumprimum ejus modi aliquod verbum edidiſſet. His actis, illam curaſſe rem domeſticam, ut antea, & aliquot etiam peperiſſe liberos, ſemper tamen fuiſſe triſtem ac pallidam. Poſt multos veró annos maritum veſperi potum, & ancillæ iratum, edidiſſe verba quæ non debebat: interea ipſam diſparuiſſe è cubiculo, unde allatura erat poma, ac reliquiſſe muliebrem veſtem, ſine corpore ſtantem, qvaſi phantaſma ad ciſtam ubi poma ſervabantur. Diſcant ex hoc Eveſtro, qvi Hepatis partes cum aliorum contemptu & convitijs ſeqvuntur, qvam facilé putaticium Hepar, tanta ſollicitudine &

moero-

moerore vindicatum & quasi ex inferis reductum, é manibus iterum elabatur & evanescat, pomaq; aurea & desideratæ opes diffugiant, quando maledicis vocibus publico bono inservientes onerantur, & umbra rerum pro vero corpore admittitur vel evocatur. Quicquid alij vel peccent vel deludantur, certó credas nos non deludi, inter quos intemerata erit amicitia qualis inter bonos esse decet, sine convitijs aut ullius obtrectatione, nec passurum me ut cum opinionum dissensu dissentiat quoq; voluntas & bené merendi studium, Tibi omni jure addictum. Volupe mihi semper fuit cum tûi similibus literarium commercium exercere, quibus veritas placet ejusq; investigatio cum humanitate, quam, nisi fallor, nunquam in meo calamo desiderabis. Rusticos aliorum mores & inhumanos ad rus relegamus, ut cum bestijs pugnent & strenué ibi pugnos exerceant. Nec Hepati, nec cordi tam arcto obsequio me obstrinxi, ut eapropter mores honestos sedatosve exuerem. Nam
Tros, Tyriusq; mihi nullo discrimine agetur.

Plura non addo, ne prolixo scribendi officio Te tuumq; affectum videar fatigare. Levi calamo ea tetigi, quæ alicujus mo-

momenti esse existimavi in humanissima tua Dissertatione, neglectis cæteris minutijs quarum pondera exactam diligentiam non requirunt. Dumq; nonnullis resumendis calamum implevi, ne quidquam quod doctissimæ Tuæ pennæ excidit negligerem, præter opinionem vidi excrevisse responsionem, tuo potius honori quam colligendis quis quilijs dicatam. Quicquid omissum judicaveris, supplebit affectus & animus sine fuco. Vale, etiam publico nomine, ut defuncto Hepati terram levem precari mecum assuescas. Hafniæ Cal. August. cIɔ Iɔc LXI.

P. S. Dum moras nectit Bibliopola nostras in divulganda Dissertatione, experimenta occurrerunt nonnulla, quæ prioribus addi possunt, ut vel illustrentur vel confirmentur ea quæ contra Bilsium disputavimus. Tu, inclyte *Deusingi*, hæc expende, & nos ama Tibi faventes.

Pag. 13. l. 22. Nam judicat eruditus *Samuel Sorbierius* candidus lymphaticorum nostrorum præco, in Epist. gallic. ad Emin. Card. *Mazarinum*, Hepar culpa vacare, quod tantum sibi nunquam tribuit, quantum patroni illius, nescio qua adulatione, affinxerunt.

P. 26. l, ult. *Vincent. Slegelius* ex edit. *Blottesandæi* p. 12: Intercepi ego thoracicum filo ad vicina axillaris distributione nondum celebratâ, post aliquot horas facta distributio implevit lacteas omnes, tandem etiam thoracicum, duravitq; ille albicans color & lactearum distentio diem integrum á morte animalis.

P. 36. l. 6. Et *Theophilus* Protospat. l. 4. de Fabr. Corp. c. 11. ὀχετὺς vocet ductus narium in os per palatum ex toto cerebro supervacua evomentes, eosq; per *cloacas* reddat Interpres *Junius Paullus Crassus*: nam & per cloacas Romanorum aquæ ex urbe fluebant in Tiberim, teste *Strabone* l. 5. Geogr. & *Dionysio* Halicarn. l. 3 Ant. Rom. & per has fluvij, quasi montibus concavis clausi per ingentia stagna decurrebant apud *Cassiodorum* l. 3. Var. Epist. 30.

P 47. l. 17. *Slegelius* apud *Blottesandæum* pag. 15: Neq; ego in extispicio vivi canis ad leges Bilsianas dissecti & ad 4. à sectione horas viventis quicquam præter obscurum liquorem, sanguini reliquo plané gemellum, potui deprehendere.

Subcineritium colorem omni sanguini facilé impresseris, si ad ignem in vase leviter

ter coquas, coctumq; ex intervallo examines: eluatur enim post coctionem aquâ tepidâ & plurimum subcineritij succi coagulati in eo deprehendes.

Cl. V. *Olaus Borrichius* Collega & amicus, nuper valido cane vivo secto, statuit quinq; vascula vitrea ordine, quibus infusus erat spiritus aceti, ol. sal. Tartari per deliqu. solutio aluminis, sp. salis armoniaci, spir: vini; in singula vitra ex arteriâ inguinali calentem sanguinem infudit, inspexit post intervallum, & plenius postridie omnia, observavitq; sanguinem, cui affusus erat spiritus aceti, redditum nigricantem instar sanguinis melancholicorum, sedimento crasso, copioso, atro, supernatantem liquorem pæne etiam atrum; cui affusum ol: sal: Tartari, redditum coloris sic satis floridi, sed turbidiorem liquorem, sedimentum nullum, ramenta tantum fibrillarum instar hinc inde conspicua; cui affusa solutio aluminis, redditum instar putidæ & subcineritiæ putrilaginis, omni sanguinis colore prorsus abolito; cui affusus spiritus vini, redditum turbidiorem, quam cui ol: sal: Tartari; cui sp. sal. armoniaci, redditum omnium elegantissimum, colore floridum, substantia tenuem, in fundo sedi-